Aug. Roehricht

Diss. Straatsburg

1885.

QUAESTIONES SCAENICAE

EX

PROLOGIS TERENTIANIS PETITAE.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

AUGUSTUS ROEHRICHT

POSNANIENSIS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXV.

Darmstadtii typis G. Otto.

PARENTIBUS CARISSIMIS

In Terentii comoediis cum aliquamdiu studium collocassem, operae pretium facturus esse mihi videbar, si quidquid ex prologis Terentianis ad illius aetatis litterarum historiam lucis afferri posset, sub uno conspectu ponerem. Qui prologi et ad cognoscendam temporis eius, quo Terentii comoediae actae sunt, litterarum Romanarum condicionem et ad studia, quibus spectatores fabulas prosecuti sunt, recte intellegenda haud levis sunt momenti. Atque iam in universum Terentii prologos cum prologis ceterorum poetarum et Romanorum et Graecorum comparantibus discrimen aliquod apparebit. Nam, ut omittam Graecos, Plautinarum fabularum prologi, quorum ut originem ita rationes satis diversas esse constat,[1] aut breviter titulum fabulae (et exemplaris Graeci) nomenque poetae exhibent aut fusius argumentum fabulae describunt aut denique scaenicas res, gregis commoda, spectatorum studia moresque perstringunt, precibus conviciisve eos ut cum silentio fabulam audiant animisque benevolis excipiant cohortantur, invidos et histrionum fautores iniquos deterrent.

Terentianorum prologorum condicio alia est. Neque enim ita a Terentio componuntur, ut aut argumentum comoediae enarretur aut de nomine poetae et fabulae deque exemplari exemplaribusve Graecis diserte ac dedita opera verba fiant,[2]

---

[1] Cf. *Ritschelii* Parerg. p. 180 sq. p. 233 sq. *Dziatzko*, Ueber die Plautin. Prologe. Allgem. Gesichtspunkte. Luzern 1866.

[2] Fabulae nomen Terentius in unoquoque prologo, exemplar quod secutus est Graecum (non poetam) in prol. Heaut. et Phorm., et exemplar et poetam Graecum in prol. Andr. et Eun. et in Adelphis)ubi scaenae insertae mentionem facit) refert.

aut silentium a spectatoribus multis verbis expetatur, sed omnes a fabulae argumento alieni id agunt, ut et defendant poetam ab aliorum poetarum malevolentia et iudicia eius de litterarum artisque maxime suae aetatis comicae rationibus proferant. Ipse Terentius in Andr. prol. v. 5 sq. profitetur:

Nam in prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, sed qui maliuoli
Ueteris poetae maledictis respondeat,

et in Adelph. prol. v. 22:

Dehinc ne exspectetis argumentum fabulae.

Hinc fit, ut non prologum adulescentem verum oratorem i. e. legatum ipsum proloquentem faciat, qui causam artis suae apud spectatores agat. Heaut. prol. v. 1 sq.:

Ne quoi sit uostrum mirum, quor partis seni
Poeta dederit, quae sunt adulescentium.

et v. 11: *Oratorem esse uoluit me, non prologum:*
Uostrum iudicium fecit sq.

itemque Hecyr. prol. II v. 1:

Orator ad uos uenio ornatu prologi:
Sinite exorator sim, eodem ut iure uti senem
Liceat, quo iure sum usus adulescentior.

Certe in omnibus fere prologis poeta crimina ab adversariis intenta a sese defendit, cum aut se excuset aut inimicorum vitia detegat. In hac autem poetarum tamquam lite fieri non potuit, quin non pauca de litterarum illius aetatis statu atque ratione prologis insererentur. Quaecunque igitur in prologis ad comoediae Romanae et ad Terentianae aetatis litterarum rationes illustrandas idonea viderentur, hac in commentatione congerere placuit, cuius omnis dispositio tripertita erit. Primum enim quaeram, *quomodo in exemplari Graeco exprimendo versati sint et Terentius et ceteri comici Latini, deinde quae ratio Terentio cum poetis comicis et prioribus et aequalibus poetarumque fautoribus intercedat, denique quid ex prologis ad rem scaenicam spectatorumque mores et studia cognoscenda efficiatur.*

Praemissa hac consilii mei sive excusatione sive defensione ad primam disputationis partem accedam.

I.

COMICI LATINI QUID IN EXEMPLARI GRAECO EXPRIMENDO SECTENTUR.

§ 1.

DE COMOEDIA NOVA AC VETERE.

De nova comoedia.

In omnibus prologis fabularum Terentius enixe operam impendit, ut demonstret novam esse fabulam quam docturus sit. Quid autem sit nova comoedia et unde haec notio oriunda sit, subtiliore, quam quae adhuc prolata est, explicatione dignum esse mihi videtur. Ac primum quidem videamus, quonam modo poeta in singulis fabulis illa notione utatur:

Heaut. prol. v. 4 sq.:

Ex integra Graeca integram comoediam
Hodie sum acturus Heauton timorumenon . . .
Nouam esse ostendi et quae esset: nunc qui scripserit
Et quoia Graeca sit sq.

in eodem prol. v. 28 sq.:

Facite aequi sitis, date crescendi copiam,
Nouarum qui spectandi faciunt copiam
Sine uitiis sq.

Novam igitur dicit poeta comoediam ex integra Graeca translatam.

Adelph. prol. v. 6 sq.:

Synapothnescontes Diphili comoediast:
Eam Commorientis Plautus fecit fabulam.
In Graeca adulescens est, qui lenoni eripit
Meretricem in prima fabula: eum Plautus locum
Reliquit integrum. eum hic locum sumpsit sibi
In Adelphos, uerbum de uerbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus nouam: pernoscite
Furtumne sq.

Hinc eam quoque novam appellari patet fabulam, in quam ex comoedia a poeta antiquiore translata unus locus ab illo nimirum praetermissus sit receptus.

In Phorm. prol. v. 9 sq. Luscii fabulae alicuius locum reprehendit Terentius, quam fabulam dicit *cum stetit olim noua,*

Actoris opera magis stetisse quam sua;

in eodem prol. v. 24 sq.:

Nunc quid uelim animum attendite: adporto nouam
Epidicazomenon quam uocant comoediam
Graeci, Latini Phormionem nominant.

In Hecyr. prol. II v. 4 sq. L. Ambivius Turpio dominus gregis sua de comoedia Romana merita his verbis enumerat:

Nouas qui exactas feci ut inueterascerent,
Ne cum poeta scriptura euanesceret.
In eis, quas primum Caecili didici nouas,
Partim sum earum exactus, partim uix steti.
Quia scibam dubiam fortunam esse scaenicam,
Spe incerta certum mihi laborem sustuli,
Easdem agere coepi, ut ab eodem alias discerem
Nouas, studiose, ne illum ab studio abducerem.

Praeterea v. 47 sq.:

Mea causa causam accipite et date silentium,
Ut lubeat scribere aliis mihique ut discere
Nouas expediat posthac pretio emptas meo.

Hinc apparet novas comoedias apud spectatores primum semper actas esse, quia neque 'spectatae neque cognitae' erant; cf. Hecyr. prol. I v. 1 sq.:

Hecyraest huic nomen fabulae: haec (*Hecyra* Dziatzko) *quom datast*
Noua, ei nouom interuenit uitium et calamitas,
Ut neque spectari neque cognosci potuerit.

Ex his quos attulimus locis apparet novam non appellari comoediam, nisi quae ex Graeca fabula a nullo antea comico Latino conversa sit expressa eademque primum apud spectatores data.

De novis comoediis Terentii aetate censuram satis se-

veram habitam esse Eunuchi prologi verba demonstrant. Nam cum Eunuchus apud aediles primum ageretur, poeta adversarius Terentii exclamavit a Terentio f u r t u m esse commissum, quod duas personas ex fabulis latine iam ab aliis conversis in suam Eunuchum recepisset, prol. v. 19 sq.:

quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam aediles emerunt,
Perfecit sibi ut inspiciundi esset copia.
Magistratus quom ibi adesset, occeptast agi.
Exclamat furem, non poetam fabulam
Dedisse et nihil dedisse uerborum tamen:
Colacem esse Naeui et Plauti, ueterem fabulam:
Parasiti personam inde ablatam et militis.

Itaque ne personas quidem singulas ex alia fabula latina in novam comoediam adversario auctore transferri licebat. Videamus, quomodo Terentius sese defenderit v. 27 sq.:

Si id est peccatum, peccatum inprudentiast
Poetae, non quo furtum facere studuerit.

Concedit igitur rem sibi crimini dari posse. Pergit v. 31 sq.:

eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Graeca: sed eas fabulas (*ab aliis* Dziatzko) *factas prius*
Latinas scisse sese, id uero pernegat

verbisque quae insequuntur illas personas usitatas esse demonstrat, quae ab uno quoque adscisci possint poeta comico:

Quod si personis isdem huic uti non licet:
Qui magis licet currentem seruom scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per seruom senem,
Amare, odisse, suspicari? denique
Nullumst iam dictum, quod non sit dictum prius.

Hinc explicatur quod in Adelph. prologo — quem locum exscripsimus p. 5 — tam sedulo cavet, ne simile in crimen incurrat. Nam cum ex Diphili comoedia iam a Plauto latine reddita unam scaenam expresserit, furti criminationem in pro-

logo praevertit, cum affirmet fabulam esse novam illamque scaenam ab antiquiore poeta praetermissam.

Quo magis miramur, quod de Hecyra relata in prol. I v. 5 poeta haec verba facit:

nunc haec planest pro noua:
Et is qui scripsit hanc ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum posset uendere.

Ubi quae praecedunt *quom datast*
Noua, ei nouom interuenit uitium et calamitas,
Ut neque spectari neque cognosci potuerit:
Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat

non sufficiunt ad rem explicandam, nisi forte comoediam post primum actum a populo exactam 'pro noua' referri potuisse existimes. Verum diserte addit poeta noluisse se iterum referre, ut iterum posset vendere *aliis scilicet ludis*, ut recte Donatus adnotavit (de qua re nobis infra, ubi de rebus scaenicis disputabimus, verba erunt facienda). Inde efficitur Hecyram retractatam esse a poeta, ut denuo doceretur: neque enim fabulam ut novam Terentius denuo vendere poterat, nisi emptori demonstraret eam mutatam vel potius emendatam esse (de qua re accuratius egimus § 7 extr.). Secunda igitur actio Hecyrae fuit fabulae retractatae itaque suo iure poeta eam 'pro nova' appellare potuit.

Ceterum simili de causa etiam Graecos novae comoediae poetas fabulas retractavisse cum *Ihnio* 'Quaest. Terent.' Bonnae 1843, p. 9 putaverim, quo nescio an pertineant Andriae prologi verba v. 9 sq.:

Menander fecit Andriam et Perinthiam.
Qui utramuis recte norit, ambas nouerit:
Non ita dissimili sunt argumento, et tamen
Dissimili oratione sunt factae ac stilo.

In prologo altero ad Hecyram v. 21, cum tertia actio fieret, nihil dictum est nisi 'refero'

Hecyram ad uos refero, quam mihi per silentium
Numquam agere licitumst sq.

Retractatam igitur fabulam, quae ipsa quoque exclusa erat, iam ut veterem dominus gregis rettulit. Itaque quod *Ribbeckius* in libro quem inscripsit '*Die Römische Tragödie im Zeitalter der Republik*' p. 656 de tragoedia dicit 'eine neue Ueberarbeitung unter gleichem oder verändertem Titel galt als nova fabula', idem nobis de comoedia probatur, quoniam tragicae eadem atque comicae musae condicio erat.

Ceterum quaeri potest, cur tantopere caverint poetae Romani, ne Graecum exemplar iam ab alio poeta comico translatum iterum exprimerent. Qua de re quod nuper *Dziatzko* in praefat. ad Phorm. ab ipso editam Lips. 1885 p. 14 exposuit, mihi non persuasit. Dicit enim: 'Das griechische Original durfte nicht bereits ganz oder zum Teil von einem andern lateinischen Dichter verwertet, sondern sollte den Zuschauern noch ganz unbekannt sein. Diese Forderung der Achtung vor fremdem geistigen Eigentum ist insofern merkwürdig, als das von einem lateinischen Dichter durch Uebertragung in Besitz genommene Drama infolge dessen als sein Eigentum galt.' Mirum sane usucapionis genus ad litteras translatae, qua cuius nihil praeter formam latinam proprium erat, is auctoris et possessoris iura haberet vetaretque quemquam idem exemplar Graecum in suum usum vertere! Verum hoc parum probabiliter ex furti crimine a Luscio in Terentium intento effecit *Dziatzko*, auctoris iura in talibus integra esse voluisse Romanos: non de nescio quo iure auctoris agitur, quod lege usuve sanctum fuerit, sed de ludorum scaenicorum usu et consuetudine. Nova fabula flagitatur: qui argumentum iam olim tractatum repetit, novam daturus non est; qui novam esse simulat, quam Naevius et Plautus iam docuerunt, is sane furti crimen non effugit. Id autem vel ad singulas scaenas atque adeo ad singulas personas fabulae alicuius pertinere ex Adelphorum prologo (de Synapothnesc. scaena) et Eunuchi prol. v. 25 sq. iam supra (p. 7) cognovimus. Nimirum in tali re suspicio erat non ex Graeco sed ex Latino auctore scaenam vel personam arreptam esse.

Quod vero tanto honore habita est nova comoedia, non minus quam ipsa notio 'nova fabula' ex usu Graecorum sollemni Romani repetierunt. Quae notio respondet Graecae

voci *καινὴ κωμῳδία, καινοὶ κωμῳδοί*, cui opponitur *παλαιὰ κωμῳδία, παλαιοὶ κωμῳδοί*, id est fabula repetita. Illud discrimen inter fabulas veteres et novas in Dionysiorum ludis[1] satis antiquum fuit: Athenis iam IV ante Chr. n. saeculo et veteribus et novis fabulis suus et legitimus locus datus est in ludis tragicis et comicis: quamquam longe maiore dignitate florebant novae. Cf. lex. rhet. Bekkeri anecd. 309, 8: *τῶν τραγῳδῶν οἱ μὲν ἦσαν παλαιοί, οἱ παλαιὰ δράματα εἰσαγαγόντες, οἱ δὲ καινοί, οἱ καινὰ καὶ μηδέποτε εἰσαχθέντα. ὅταν οὖν τοῦτο γίνηται, πλείων ἐστὶ σπουδὴ τῶν Ἀθηναίων περὶ τὸ καινὸν δρᾶμα καὶ μηδέποτε ἠγωνισμένον.* Hinc in decretis honorariis imperari solet, ut praemia et coronae pronuntientur in Dionysiorum festis diebus *τραγῳδοῖς καινοῖς*: quo plures de ea re certiores fierent; cf. Demosth. de cor. 54: *ἀναγορεῦσαι ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις τοῖς μεγάλοις τραγῳδοῖς καινοῖς, ὅτι στεφανοῖ ὁ δῆμος Δημοσθένην* et ibid. 55: *μὴ ἀναγορεύειν τὸν στέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις τραγῳδῶν τῇ καινῇ* scil. *εἰσόδῳ*. ibid. 84. 115. 116. 118. Aeschines in Ctesiph. 34: *τραγῳδῶν ἀγωνιζομένων καινῶν.* Lucian. Timon. 51: *καὶ στεφανῶσαι αὐτὸν χρυσοῖς στεφάνοις καὶ ἀνακηρυχθῆναι τοὺς στεφάνους τήμερον Διονυσίοις τραγῳδοῖς καινοῖς.* Ioseph. *ἀρχαιολ.* XIV 8, 5 in decreto quodam Attico: *Διονυσίοις τραγῳδῶν τῶν καινῶν ἀγομένων.* Plutarch. de exil. 10: *Διονυσίων καινοῖς τραγῳδοῖς*, id. Phocion. 19: *καί ποτε θεωμένων καινοὺς τραγῳδοὺς Ἀθηναίων ὁ μὲν τραγῳδὸς εἰσιέναι μέλλων* sq., id. symp. VII 7: *χάριεν γάρ τοι τὸ τοῦ Λάκωνος, ὃς Ἀθήνῃσι καινῶν ἀγωνιζομένων τραγῳδῶν θεώμενος τὰς παρασκευάς* sq. Aelianus var. hist. II 13: *Ὁ δὲ Σωκράτης σπάνιον μὲν ἐπεφοίτα τοῖς θεάτροις· εἴ ποτε δὲ Εὐριπίδης ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητὴς ἠγωνίζετο καινοῖς τραγῳδοῖς, τότε γε ἀφικνεῖτο.*

Idem autem valet de *καινῇ κωμῳδίᾳ*, quae significatio in inscriptionibus agonisticis Graecis saepius redit, velut in Thespiensi C. I. Gr. I 1585, ubi Boeckhio auctore *παλαιὰ κωμῳδία* in catalogo poetarum opponitur *καινῇ κωμῳδίᾳ* v. 12: *Θεόδωρος*

[1] Cf. *Lueders* 'Die Dionysischen Künstler'. Berlin 1873. *Madvig* Kl. Schriften: 'Das attische Drama' p. 439 sq. *U. Koehler*, Mittheilungen d. Arch. Inst. in Athen III p. 104 sq.

Θεοδότου Νικομηδεὺς [κωμῳδὸς παλαιᾶς κωμῳδίας], v. 13: Ἀπολλώνιος Ἀπολλωνίου Ἀσπένδιος ποιητὴς καινῆς κωμῳδίας. In titulo Aphrodisiensi C. I. Gr. II 2759, ubi col. III 4 dicitur de καινῇ κωμῳδῶν scil. ἐπιδείξει, et v. 7, ubi est ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ: ad quae verba *Boeckhius* haec adnotat: 'Et primum ibi (col. III 4) habetur καινῇ κωμῳδῶν et καινῇ τραγῳδῶν, quae dictiones de nova (hoc est non iterata) comoediae et tragoediae commissione intellegendae sunt. . . . . Quod versu 7 interponitur ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ, id spectata oppositione καινῆς vix aliter ac de repetita fabula intellegi potest non de comoedia antiqua, qualis est Aristophanea.' Eadem exempli gratia ἀρχαία κωμῳδία dicitur apud Athenaeum III p. 115ᵃ: . . . ἃ ἐξέθετο πόπανα καὶ πέμματα Ἀριστομένης ὁ Ἀθηναῖος ἐν τρίτῳ τῶν πρὸς τὰς ἱερουργίας. ἔγνωμεν δὲ καὶ ἡμεῖς τὸν ἄνδρα τοῦτον νεώτεροι πρεσβύτερον. ὑποκριτὴς δ' ἦν ἀρχαίας κωμῳδίας ἀπελεύθερος τοῦ μουσικωτάτου βασιλέως Ἀδριανοῦ sq.

Hinc igitur novae fabulae et usum et nomen mutuati sunt Romani, nisi quod utrumque ab exemplaribus Graecis ad versiones latinas transtulerunt, in eo quoque Graecum exemplum secuti, quod novis fabulis primarium in ludis scaenicis locum tribuerunt.

De vetere comoedia.

Ut apud Graecos καινὴ κωμῳδία opponitur παλαιᾷ, ita apud Romanos nova veteri. Vetus igitur fabula dicebatur olim acta vel relata. Cf. Eunuch. prol. v. 25:

Colacem esse Naeui et Plauti, ueterem fabulam.

Hecyr. prol. II v. 4: *Nouas qui exactas feci ut inueterascerent.*

ibid. v. 10: *Easdem agere coepi, ut ab eodem alias discerem*
Nouas, studiose.

ibid. v. 29: *Uetere in noua coepi uti consuetudine,*
In experiundo ut essem: refero denuo.

Quamquam in Casinae Plautinae prologo diversa notione et 'veteres fabulae' et 'novae' ad tempus referuntur. Plautinae (et eorum qui usque ad Terentium fuerunt) veteres et omnium

studio probatae opponuntur novis comoediis, i. e. post Terentii mortem scriptis[1] v. 5 sq.:

Qui utuntur uino uetere, sapientes puto,
Et qui lubenter ueteres spectant fabulas.
Antiqua opera et uerba quom uobis placent,
Aequomst placere ante ⟨alias⟩ ueteres fabulas.
Nam nunc nouae quae prodeunt comoediae
Multo sunt nequiores quam nummi noui.

Similiter Suetonius Aug. 89 de Augusto: *sed plane poematum quoque non imperitus, delectabatur etiam comoedia ueteri et saepe eam exhibuit spectaculis publicis,* ubi vetus fabula Naevii Plauti Terentii fabulas, florem illum poetarum, significat.

Sed iam redeamus ad veterem i. e. relatam fabulam novae i. e. nondum actae oppositam. Veteres fabulas minoris pretii fuisse quam novas ex Hecyrae prol. I v. 6: *noluit iterum referre, ut iterum posset uendere* luce clarius apparet. Unde sumendum est pro repetitis fabulis pretium non esse solutum. Nam quod Eunuchus bis acta maius quam alia ulla pretium meruisse dicitur, id non pertinet ad relatam fabulam: quam recte Ritschelius[2] in Parerg. p. 332 sq. adn. iudicavit isdem ludis isdemque aedilibus novam bis deinceps actam esse. Atque id ipsum Suetonius in vita Terentii scripsisse videtur (vit. Ter. p. 29, 8 *Reiff.*) *Eunuchus quidem bis deinceps* (ita Ritschelius ingeniose pro *bis die,* quod significat bis quotidie) *acta est meruitque pretium, quantum nulla antea cuiusquam comoedia, id est octo milia nummum,* quod sic interpretandum est: aediles qui Eunuchum emissent — idque, cum successus esset incertus, fortasse medioeri pretio — cum tanto plausu acta esset fabula, eam isdem ludis bis agendam curasse praemiumque poetae ultro auxisse. Melius

[1] Cf. *Ritschelii* Parerg. p. 180 sq.; huius commentationis § 5 init.

[2] *Ritschelius* l. c.: 'Die Festgeber erhöhten das Honorar durch einen freien Akt der Grossmuth zu jener liberalen Summe, die nun, weder für die erste, noch auch bloss für die zweite, sondern als eigentlicher Ehrensold für beide Aufführungen zusammen galt.'

sane *Ritschelius* quam *Dziatzko* in Mus. Rhen. XXI p. 473 [1], qui censet poetam primae tantum actionis ius aedilibus vendidisse et cum animadvertisset fabulam statim denuo datum iri, quaestui suo consuluisse. Quod vero Donatus in praefat. ad Eunuchum adnotavit: *et acta est tanto successu ac plausu atque suffragio, ut rursus esset uendita et ageretur iterum pro noua,* id tanti non habendum puto. Donatum enim ipso Suetonii, quem supra attuli, loco pro fonte usum esse et verba 'ut rursus esset vendita' de suo addidisse memorem fortasse prologi Hecyrae I v. 7 comparatio utriusque loci facile persuadet. [2]

Veteres certe fabulae non tanti aestimabantur quanti novae. Quamquam inde non sequitur, quod *Dziatzkoni* visum est, veteres prorsus pro nihilo habitas et neglectas esse. Is enim in Mus. Rhen. XXI p. 472 [3] sic statuit: a principio

[1] *Dziatzko* l. c.: 'Doch brauchen wir darin nicht durchaus mit Ritschl bloss 'einen freien Act der Grossmuth' zu sehen, sondern dürfen auch glauben, dass der Dichter selbst seinen Vortheil wahrgenommen habe, als er die Absicht der Aedilen bemerkte, den Eunuch sofort noch einmal aufzuführen.' — Nunc idem in edit. Phormionis p. 128 ipse concedit interdum praemium ab aedilibus augeri potuisse: 'In diesem Falle scheinen die Festgeber eben ausnahmsweise, über den grossen Erfolg des Stückes erfreut, dem Dichter sein Honorar so ansehnlich erhöht zu haben.'

[2] Cf. Suetonii verba: *meruitque pretium, quantum nulla antea cuiusquam comoedia* cum Donati verbis: *proque ea pretium, quod nulli ante ipsam fabulam contigit* sq.

[3] *Dziatzko* l. c.: 'Die grosse Masse der römischen Zuschauer, für welche allein zunächst die Stücke zur Aufführung kamen, zeigte von Anfang an ganz natürlich ein überwiegendes Gefallen an dem Stofflichen der Stücke, an neuen Charakteren (soweit die Gleichförmigkeit der mittleren und neueren griechischen Komödie darin Abwechselung bieten konnte), an überraschenden Situationen, unerwarteten Verwicklungen und Lösungen; hingegen haben sie gewiss weniger Sinn gehabt für eine kunstvolle Oekonomie, feine Charakterzeichnung und bis ins Einzelne sorgfältige Ausführung. Daher übten vor Allem die novae fabulae, welche dem römischen Volke noch nicht Dagewesenes zu sehen und zu hören boten, auf dasselbe ohne Zweifel die grösste Anziehungskraft, und es ist wohl glaublich, dass in der ersten Zeit scenischer Aufführungen allein *novae* fabulae gegeben wurden,

spectatores non tam personarum mores accurate politos vel actionis artificia quam nova et varia et actuosa desiderasse itaque novas fabulas solas placuisse, veteres nullius momenti fuisse. Ex quibus ut illud probamus, ita *Dziatzkonem* oppositionem fabulae novae et veteris finxisse iudicamus, quae nulla erat, certe hac in re: quasi novarum esset comoediarum spectatores argumento delectare neque idem etiam veterum idque vel saepius! Ipsae Terentii comoediae ad refellendam *Dziatzkonis* sententiam sufficiunt: an putabimus Hecyram novam fabulam bis a spectatoribus exactam levioribusque funambuli gladiatorum spectaculis posthabitam esse, si singulare novarum fuisset ius audientium animos argumenti novitate delectare? Certe vetus aliqua Plauti fabula multo magis in spectatorum deliciis fuisse nobis videtur quam Terentii Hecyra vel Luscii Phasma.

Veteres igitur fabulas primis comoediae temporibus nullius pretii fuisse *Dziatzkoni* non credimus. Immo omnibus temporibus *et novae et veteres* agebantur comoediae, ita tamen ut novae, velut *καινοὶ κωμῳδοί* Lenaeis et Magnis Dionysiis apud Graecos, ludis publicis sollemnibus Romanorum darentur: Romanis,[1] Megalensibus,[2] Apollinaribus,[3] plebeis,[4] veteres aliis occasionibus, veluti maxime ludis votivis et funebribus.[5] Recte igitur *Ritschelius* in Parerg. p. 331 sq.: 'In Rom selbst sind ja oft genug auch alte Stücke auf die Bühne gebracht worden; unter welchen Einschränkungen, ob nur an gewissen

---

veteres aber ganz werthlos waren.' — Cf. eundem in ed. Adelph. p. 6.

Similiter atque *Dziatzko* iudicavit *A. Kohl* in dissert. 'Didascaliae Terentianae explicatae' p. 24: 'Apud veteres minime moris erat ut nostra aetate fabulas praestantia cognitas, si semel actae erant, iterum atque rursus producere in scenam, *sed omnino nihili aestimabantur post primam actionem*.'

[1] Romanis ludis exempli gratia Terentii Phormio acta est.

[2] Megalensibus: Plauti Pseudolus (a. 191 a. Chr. n.), Terentii Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Hecyra nova fabula.

[3] Apollinaribus: Ennii Thyestes.

[4] Ludis plebeis: Plauti Stichus (a. 200 a. Chr. n.).

[5] Quamquam ludis funebribus novae quoque saepius actae sunt, quod constat de Terentii Adelphis et de Hecyr. fab. retractata.

Festen u. dgl., darüber sind wir ohne Nachrichten.... Viel ausgedehnter aber mag der Gewinn gewesen sein, der mit diesen Stücken ausserhalb Roms, in den Städten Italiens gemacht wurde.' Quanam alia ratione Ambivium gregis dominum putabimus Caecilii fabulas exactas egisse, dum starent (cf. Hecyr. prol. II v. 4: *nouas qui exactas feci ut inueterascerent,* v. 10: *easdem agere coepi, ut ab eodem alias discerem,* v. 13: *poetam restitui in locum*), nisi potestatem ei fuisse vel Romae certis ludis vel in municipiis[1] veteres fabulas referendi existimamus? De qua re accuratius infra verba facienda erunt, ubi de fabularum possessoribus agemus.

§ 2.

DE FABULIS CONTAMINATIS.

Comici Romanorum poetae paucis exceptis inde ab initio usque ad septimum saeculum u. c. omne ponebant studium in convertendis Graecis fabulis. Qui cur ab argumento e Romanorum vita sumendo abstinuerint iidemque novae, non antiquiori Graecorum comoediae navaverint operam, ea de re bene disputatur a *Koenighoffio* 'De ratione quam Terentius in fabulis graecis latine convertendis secutus est' Coloniae 1843. In vertendis autem exemplaribus non eadem omnium poetarum fides erat: alii id agebant, ut quam diligentissime Graeca exprimerent, contra alii consulto Graecum exemplum liberiore modo tractabant, alia vel aliunde arcessebant vel de suo addebant: inter quos fuit Terentius. Qui quomodo ea in re versatus sit, ex eis elucet, quibus adversariorum, qui diverso consilio utebantur, crimina convellere studet in prologis. Summa autem omnium, quae illi Terentio exprobrabant, inest in verbis Andr. prol. v. 16:

[1] cf. *Ritschelii* Parerg. p. 88: ... 'da diese (*domini gregis*) es waren, denen die Stücke nach der ersten Aufführung, die allein dem Dichter Honorar abwarf, zufielen, worauf sie dieselben weiterhin zu ihrem eigenen Vortheil in und ausser Rom, so oft gerade keine novae fabulae nöthig waren, als veteres zu wiederholter Aufführung brachten und von den festgebenden Magistraten bezahlt bekamen.'

Contaminari non decere fabulas.

Heaut. prol. v. 16:

> *Nam quod rumores distulerunt maliuoli,*
> *Multas contaminasse Graecas, dum facit*
> *Paucas Latinas* sq.

'Contaminare' igitur inimici Terentium fabulas Graecas contendebant. Quod verbum praeterea (nisi in Eun. III 5, 4: *Ne hoc gaudium contaminet uita aegritudine aliqua,* ubi significat 'maculare, deformare') apud comicos Romanos non reperitur. Certe in prologis quoque vox ab inimicis usurpata in malam partem est versa, quod confirmat illud *multas contaminasse Graecas, dum facit paucas Latinas.* Quot enim, quaeso, fabulas Terentius iam docuerat, qui 'multas' contaminasset Graecas? Dederat Andriam ex duabus Menandri fabulis conversam et Eunuchum ab eodem Menandro petitam insertis duabus ex eiusdem Colace personis. Quo minus 'contaminatio' terminus quem voluerunt homines docti technicus est iudicandus: qualis male effingitur ex obiurgatione inimicorum. Revera vox illa nusquam nisi in malam partem usurpatur:[1] quam recte Ruhnkenius (ad Andr. prol. v. 16) exposuit derivari 'ab antiquo *tago,* pro quo posterior aetas dixit *tango*', unde *contagium integer* alia. Dicitur igitur de eis quae contactu miscentur indeque corrumpuntur et polluuntur. Cf. Donatum ad l. c.: *Proprie contaminare est, manibus luto plenis aliquid attingere. Et contaminare et attingere est et polluere. Vergilius: 'Linquere pollutum hospitium' id est contaminatum.*

Tali autem convicio notabatur ab adversariis artificium non ipsius Terentii sed comicorum Romanorum complurium proprium, quo fabula Latina saepius non ex uno exemplari Graeco exprimebatur, sed ex duobus vel pluribus conflabatur. Quid? quod Donatus de una sententia ex Menandri Eunucho in Andriam translata (V 5, 3) dicit: *et hoc est quod*

---

[1] cf. *Grauert* 'Ueber das Contaminiren der Röm. Komiker' in analect. hist. et philolog. p. 116 sq. *Koenighoff* l. c. p. 34 sq. *Ihne* l. c. *Dziatzko* ed. Phorm. Lips. 1885, p. 14.

dicitur, contaminari non decere fabulas: quamquam id vereor ut ex sententia inimicorum Terentii protulerit.[1]

Atque artificium illud diverso modo adhibitum esse a poetis et ipsa Terentii in prologis verba testantur et fabulae confirmant. Audiamus ipsum:

1) Andr. prol. v. 9 sq.:

Menander fecit Andriam et Perinthiam.
Qui utramuis recte norit, ambas nouerit:
Non ita dissimili sunt argumento, et tamen
Dissimili oratione sunt factae ac stilo.
Quae conuenere in Andriam ex Perinthia
Fatetur transtulisse atque usum pro suis.

Fabula latina igitur ex duabus comoediis Graecis conflata est.

2) Eunuch. prol. v. 19 sq.:

quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam aediles emerunt,
Perfecit sibi ut inspiciundi esset copia.
Magistratus quom ibi adesset, occeptast agi.
Exclamat furem, non poetam fabulam
Dedisse et nihil dedisse uerborum tamen:
Colacem esse Naeui et Plauti, ueterem fabulam,
Parasiti personam inde ablatam et militis.
Si id est peccatum, peccatum inprudentiast
Poetae, non quo furtum facere studuerit.
Id ita esse uos iam iudicare poteritis.
Colax Menandrist: in east parasitus colax
Et miles gloriosus: eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Graeca etc.

[1] Singulas sententias ex alio scriptore mutuari nullus unquam veterum dubitavit, veluti Afranius solitus erat locos quosdam de Menandro transferre, atque de se ipse scripsit fr. v. 25 sq. Ribb.:

fateor, sumpsi non ab illo modo,
sed ut quisque habuit, conueniret quod mihi,
quod me non posse melius facere credidi,
etiam a Latino.

In Eunuchum igitur ex altera fabula Menandri duae personae illatae dicuntur.

3) Adelph. prol. v. 6 sq.:

Synapothnescontes Diphili comoediast:
Eam Commorientis Plautus fecit fabulam.
In Graeca adulescens est, qui lenoni eripit
Meretricem in prima fabula: eum Plautus locum
Reliquit integrum. eum hic locum sumpsit sibi
In Adelphos, uerbum de uerbo expressum extulit.

Itaque Adelphoe Menandri una scaena Diphili aucta est a Terentio.

Atque simplicissimum genus apparet quod postremum proferimus: in Adelphis enim scaena illa tam laxe ceteris inserta est, ut facillime neque ullo totius fabulae detrimento ex tota actione eximi possit: cuius rei ipse Plautus testis est, qui in Commorientibus eam scaenam nescio qua de causa omittere nullo sane fabulae damno maluerit.

Etiam in Andria, cum duo exemplaria Graeca eodem argumento et isdem fere scaenis personisque uterentur, in promptu erat imitatori Romano eligere eas scaenas personasve ex utraque fabula, quas ad risum spectatorum Romanorum movendum maxime idoneas iudicaret: *quae conuenere . . . fatetur transtulisse atque usum pro suis.* Quamquam res aliquanto impeditior erat quam in Adelphis, ubi unam scaenam fabulae poeta inseruit.

Iam accedamus ad Eunuchum. Terentius huic fabulae e Menandri Eunucho versae duas personas, Gnathonem parasitum et Thrasonem militem gloriosum, ex Menandri Colace ita innexuit, ut cum Chaerea adulescente primas fabulae partes agerent. Quae res magis ardua fuit quam in Andria vel in Adelphis: nam poetae non tantum ceteris adiungendae vel inserendae erant illae personae sed apte toti actioni personisque iam datis accommodandae. Videmus autem duas illas personas artissime cum totius fabulae actione cohaerere neque ullo pacto, sicut in Adelphis scaenam illam insertam, omitti posse: omissis enim illis personis tota fabula collabitur. Recte igitur *Ihne* l. c.

p. 16: 'Sed ut assumere de Colace plura atque adeo ut milite et parasito posset in Eunucho sua uti, necesse est similitudinem intercessisse inter Colacem et Eunuchum Menandri non mediocrem.' Itaque et militem gloriosum et parasitum in Colace partes egisse non negabimus: quod de altera persona ex ipso titulo (*Κόλαξ*) constat. Quare non temere mihi videor contendere eandem fere intercessisse similitudinem inter Menandri Colacem et Eunuchum, quam inter eiusdem poetae Andriam et Perinthiam ipse Terentius testatur.

In reliquis comoediis num similia artificia adhibuerit Terentius, quod de Hecyra affirmat *Dziatzko* (mus. Rhen. XXI p. 79 sq.; ed. Adelph. p. 12 not.), nunc non quaero. De Heautontimorumeno id certe negavit *Dziatzko:* quamquam Terentii in prologo verba, quibus tamquam argumento utitur v. 4:

Ex integra Graeca integram comoediam
Hodie sum acturus Heauton timorumenon,

non spectant ad fabulam non contaminatam sed ad novam neque a quoquam antea tactam: quod probatur et v. 7 *nouam esse ostendi* et Adelph. prol. v. 9 *eum Plautus locum reliquit integrum.*

Ipsum autem morem ex duabus comoediis Graecis fabulam Latinam componendi non a Terentio esse inventum ipse identidem monet contra adversarios, cf. Andr. prol. v. 18 sq.:

Qui quom hunc accusant, Naeuium Plautum Ennium
Accusant, quos hic noster auctores habet,
Quorum aemulari exoptat neclegentiam
Potius quam istorum obscuram diligentiam.

Eunuch. prol. v. 42:

Quare aequomst uos cognoscere atque ignoscere,
Quae ueteres factitarunt si faciunt noui.

Heaut. prol. v. 20:

Habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi
Licere id facere quod illi fecerunt putat.

Itaque ipso Terentio auctore iam Naevius et Plautus et Ennius contaminandi ratione utebantur.

Quodsi quaerimus quomodo fieri potuerit, ut totiens ex fabulis Graecis duabus conflatis comoedia nova efficeretur, explicatio petitur ex eis quae supra de Andria et Eunucho notavimus. Nimirum ex ipsa novae comoediae Atticae condicione, quae et in isdem saepe argumentis vitae cotidianae et intra certos certarum personarum actionumque fines versatur,[1] facile fiebat ut plures fabulae inter se simillimae scriberentur, cum praesertim ingentem numerum fabularum Graecarum reputaveris: veluti Antiphanes dicitur 260, Alexis 245, ipse Menander 108, Philemon 97, Diphilus 100 scripsisse fabulas.[2] Recte igitur *Ihne* l. c. p. 17 fieri non potuisse dicit 'quin multa non raro repeterentur, ita ut optime valeat de nova comoedia Graeca Terentianum illud (Eun. prol. v. 41) *nullum est iam dictum quod non dictum sit prius.* Sed etiam certa habemus quibus hoc confirmetur testimonia. Huc referendum est quod eiusdem tituli fabulas complures poetae scripserunt velut *Ἐπιδικαζόμενον* Apollodorus, Diphilus, Anaxippus, Philemo, Posidippus, Damoxenus; *Ἐπίκληρον* Alexis, Antiphanes, Diodorus, Diphilus, Heniochus, Menander; *Φάσμα* Philemo, Menander, Theognetus; *Θησαυρόν* Philemo, Menander,

---

[1] cf. Eunuch. prol. v. 35 sq.:

Quod si personis eisdem huic uti non licet:
Qui magis licet currentem seruom scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per seruom senem,
Amare, odisse, suspicari? denique
Nullumst iam dictum quod non dictum sit prius.

cf. etiam *Ihne* l. c. p. 16 et inprimis *Studemund* 'Ueber zwei Parallel-Komödien des Diphilus' (Abhandl. der 36. Philolog. Vers. Karlsruhe 1882) p. 33: 'Die dafür notwendig vorauszusetzende Leichtigkeit der Produktion erklärt sich zum Theil dadurch, dass die gleichen oder ähnliche Motive und Verwickelungen und ähnliche gehäufte Wunderlichkeiten des Zufalls in einer grösseren Anzahl von Komödien wiederkehrten, so dass nur die Verwendung jener Motive virtuos variirt und durch Beimischung ergötzenden Scherzes und durchdachte Charakterzeichnung der auftretenden Personen dem Geschmack der Zuhörer angepasst zu werden brauchte.'

[2] cf. *Studemund* l. c. p. 33.

Diphilus, Dioxippus: 'Ἀδελφούς Euphro, Hegesippus, Philemo, Diphilus, Apollodorus, Menander.'

At quinam factum est, interrogaverit quispiam, ut comici Romani iam inde a primordiis rem satis singularem tantopere in deliciis haberent? Atque primum quidem ipsa fabularum novae comoediae Graecae natura, de qua modo verba fecimus, studium illud contaminandi concitatum esse opinor: similitudine sane cum argumenti et personarum tum singularum scaenarum factum est, ut comici Romani scaenas praeter ceteras iocosas ex alia fabula petitas vel personas lepidissimas velut coquos parasitos ostentatores alias, quae Romanorum spectatorum risum maxime moturae esse viderentur, fabulae exemplari adiungerent vel insererent. Quemadmodum in Andria fabula vidimus ex duabus graecis, Andria et Perinthia, poetam eas elegisse scaenas, quae felicius inventae et ad successum aptiores sibi viderentur.

Sed accessit aliud. Inserendo enim scaenas vel personas praeter alias iocosas dimidium tantum operis a comico Romano confectum erat: eiusmodi incremento alieno poetae saepissime reliqua quoque retractare et plus minusve commutare cogebantur, ut partes diversas inter se conciliarent. Qua commutatione vel totius fabulae vel singularum rerum factum est, ut comici Romani aliqua ex parte suo sibi iudicio stare viderentur, quod ipsis magis sane expetendum videbatur mera illa et obscura Graecorum imitatione. Itaque eos fere despiciebant, qui 'obscura diligentia' Graeci exemplaris vestigia anxie premebant: cf. Andr. prol. v. 20:

Quorum aemulari exoptat neclegentiam
Potius quam istorum obscuram diligentiam

et Eun. prol. v. 7, ubi Luscium ludificans haec dicit Terentius:

Qui bene uertendo et easdem scribendo male
Ex Graecis bonis Latinas fecit non bonas.

Nobis vero ea inventionis laus ex aliunde paratis acquisita ipsumque compositionis artificium satis exile et miserum videbitur. In quo, nisi fabularum quibus utebantur exemplaribus, argumenta simillima erant, facillime labi potuisse

poetas ipsa Adelphoe fabula demonstrat: ubi, quod in act. I sc. 2 Bacchidis puellae raptus iam narratur quae in act. II sc. 1 demum revera ab Aeschino rapitur, ea temporis confusio vix ferri potest. Maiore cum arte et feliciore successu Andria et Eunuchus compositae sunt, quod eo effectum apparet, quia simillimis argumentis Menander usus erat.

II.

QUAE RATIO TERENTIO CUM POETIS ET PRIORIBUS ET AEQUALIBUS INTERCEDAT.

§ 3.

DE VETERIBUS POETIS.

De poetis comicis, qui ipsum aetate praecesserunt, Terentius nonnullis prologorum locis verba facit, ubi de contaminandi crimine ab adversariis in se intento agit Andr. prol. v. 18 sq.:

Qui quom hunc accusant, Naeuium Plautum Ennium
Accusant, quos hic noster auctores habet,
Quorum aemulari exoptat neclegentiam
Potius quam istorum obscuram diligentiam.

Eodem spectat Heau. prol. v. 20:

Habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi
Licere id facere quod illi fecerunt putat.

de quibus versibus iam supra disputavimus p. 19. In Eun. prol. v. 35 sq. Colace Naevii et Plauti commemorata ex veterum exemplo sibi excusationem parat poeta:

Quod si personis isdem huic uti non licet:
Qui magis licet currentem seruom scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per seruom senem,
Amare, odisse, suspicari? denique
Nullumst iam dictum quod non sit dictum prius.
Quare aequomst uos cognoscere atque ignoscere,
Quae u e t e r e s factitarunt si faciunt noui.

Opponuntur igitur poetae illi v e t e r e s n o v i s i. e. aequalibus Terentii ex temporis ratione, cum Naevius Plautus Ennius annorum serie quamvis non nimis longa ab Terentii aetate distent. Certe de aliis discriminibus velut scribendi generis vel fabularum argumenti eo minus cogitari potest, quod ipsa similitudine in componendis fabulis Terentius pro excusatione utitur.

Iam satis memorabile est, quod idem discrimen inter veteres et novos comicos, quamquam longe diverso consilio institutum, redit in prologo paucis annis post Terentii fabulas doctas scripto: prologum dico Casinae Plautinae, de quo praeclare exposuit *Ritschelius* Parerg. p. 180 sq. Ibi haec leguntur v. 5 sq.:

Qui utuntur uino uetere, sapientes puto,
Et qui lubenter ueteres spectant fabulas.
Antiqua opera et uerba quom uobis placent,
Aequomst placere ante ⟨alias⟩ ueteres fabulas.
Nam nunc nouae quae prodeunt comoediae,
Multo sunt nequiores quam nummi noui.
Nos postquam populi rumore intelleximus,
Studiose expetere uos Plautinas fabulas,
Antiquam eius edidimus comoediam,
Quam uos probastis, qui estis in senioribus;
Nam iuniorum qui sunt, non norunt, scio:
Uerum ut cognoscant, dabimus operam sedulo.
Haec quom primum actast, uicit omnis fabulas.
Ea tempestate flos poetarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum.

Hunc prologum Ritschelius demonstravit anno fere 600 u. c. compositum esse: quo tempore veterum atque inprimis Plauti fabulas a spectatoribus flagitari coeptas esse ipsa Casinae repetitio docet. Tum enim Terentio defuncto nulli iam poetae comici praestantiore ingenio praediti exstiterunt; frigebat scaena: unde factum, ut novorum fabulae parvi aestimarentur, veterum veteres cum summo spectatorum studio repeterentur. Quod studium recens fuisse, cum Casina referretur, ipsis prologi verbis, quae captationem quam dicimus benevolentiae con-

tinent, probari videtur: *nos postquam populi rumore intelleximus studiose expetere uos Plautinas fabulas.* Casina igitur fabula fuit oblivione paene oblitterata (cf. v. 14. 15), certe negat prologus iuniores ullam eius comoediae cognitionem habere. Itaque antiqua Plauti fabula, quamquam revera vetus erat, tamquam pro nova spectatoribus offerebatur, quippe quorum magna pars eam ignoraret, plurimi prae veteribus novas aspernarentur. Nomine quoque fabulae mutato id egisse domini gregis videntur, ut veteres fabulas pro novis venditarent: ideo non Casinam sed Sortientes nuncupant v. 30 sq.:

Comoediai nomen dare uobis uolo:
Clerumenoe uocatur haec comoedia
Graece, latine Sortientes.

idemque de Poenulo valet.[1]

Inopia igitur novarum fabularum effecerat, ut veteres Plauti fabulae in novum dignumque poetae honorem reducerentur. Terentiana autem aetate desiderium illud veterum poetarum nondum exstitit, dum adessent ingenia quae novas quotannis procrearent fabulas ac spectatoribus placituras. Absque quo esset, non poterat Casina velut fabula incognita spectatoribus proponi. Itaque veterum comicorum, qui tum non iam in vivis essent, fabulae Terentiana aetate referri non facile solebant. Contra novorum i. e. aetate florentium poetarum non tantum novae fabulae docebantur sed eaedem nullo negotio referebantur, quod praeter Hecyram bis actam testatur de Caecilii fabulis locus Hec. prol. II v. 4 *nouas qui exactas feci ut inueterascerent* et ibid. v. 10:

Easdem agere coepi, ut ab eodem alias discerem
Nouas sq.

Denique non eodem quo post Terentii mortem pretio habitos esse veteres poetas ipse singulari exemplo confirmat Terentius, cum se a furti crimine his verbis purget Eun. prol. v. 33: *sed eas fabulas* (scil. Colacem Naevii et Plauti) *factas prius*
Latinas scisse sese, id uero pernegat.

---

[1] cf. *Ritschelium* Parerg. p. 203 sq.

Quid? Naevii et Plauti celeberrimorum comicorum fabulas illas ignorare impune erat Terentio comico poetae, eamque spectatoribus excusationem probare poterat? Res declaratur iis quae modo disputavimus; itaque rectissime iudicasse mihi videtur *Boissier* cum diceret in '*Les prologues de Térence*' (Mélanges Graux p. 82): 'Il se contenta d'alléguer, pour se défendre, qu'il ignorait entièrement l'existence des deux comédies latines et cette réponse est instructive pour nous. Elle montre que ces vieilles pièces n'étaient pas reprises alors sur le théâtre ou répandues par la lecture'. Certe si Casina paucis annis post Terentii mortem Romanis fere adeo incognita erat, ut pro nova referri posset,' non mirum Naevii et Plauti comoedias illas in notitiam Terentii non venisse neque spectatas neque lectas ab aequalibus, praesertim cum quales tum commercii quod dicimus litterarum et memoriae litterariae rationes fuerint reputemus.

Iam ad singula transeamus. Naevium Plautum Ennium veteres poetas diserte tradit Terentius viam sibi praeivisse in contaminandis fabulis Andr. prol. v. 18:

> *Qui quom hunc accusant, Naeuium Plautum Ennium*
> *Accusant, quos hic noster auctores habet.*

Ex certissimo igitur testimonio efficitur artificii illius singularis, quo ex pluribus fabulis fabularumve partibus Graecis comoedia Latina conflaretur, auctorem et parentem fuisse Naevium poetam aliis quoque nominibus novatorem. Qui primum ausus est res gestas Romanorum carmine latino enarrare et illustrare ea aetate, qua praeter brevissimos magistratuum titulos rerum scriptores nullis fere subsidiis nitebantur, qui praeterea in tragoedia praetexta illius aetatis res gestas popularium oculis subiecit, qui denique in comoedia aequalium suorum mores perstrinxit ea usus libertate, qua nemo post eum comicus uti ausus est, idem etiam in consuendis liberiore modo fabulis ceteris exstitit exemplum.

Ad rationem quae inter Naevium et Plautum intercedat in fabulis componendis pertinent Eun. prol. v. 25 sq.:

> *Colacem esse Naeui et Plauti, ueterem fabulam,*
> *Parasiti personam inde ablatam et militis.*

Quid autem? Eandemne Menandri Colacem ab utroque poeta latino translatam dicamus? Non dubitavit id affirmare *Boissier* l. c. p. 82: 'Il lui aurait été pourtant facile de répondre que, puisque Plaute avait repris le Colax de Ménandre après Naevius, il lui était bien permis de le reprendre après Plaute'. Quod si verum est, Plauti Colax non nova erat comoedia sed retractata, immo surrepta: atque furti crimen, quod propter Naevii et Plauti argumenta expressa in Terentium intendit Luscius, ad Plautum quoque pertinebat. Quod et ab criminatoris consilio alienum est et in ipsis comoediae Romanae originibus ab omni veri specie abhorret, duos poetas aequales idem Menandri exemplar secutos esse. Illa enim aetate cum et pauci essent poetae comici et magna fabularum Graecarum copia suppeteret, multo etiam studiosius novas fabulas a spectatoribus Romanis expetitas esse consentaneum est. Verum quaenam ratio inter duas illas comoedias statuenda sit, non inepte ex ipsa Eunucho efficias. Diversis certe exemplaribus Graecis usi sunt Naevius et Plautus. Atque Colacem comoediam non unus Menander sed etiam Philemon scripserat, scripserant fortasse alii quoque, nam parasitum colacem ad necessariam scaenae supellectilem pertinere notum est. Aut igitur Naevius et Plautus, cum duas comoedias diversas usurparent, uterque tamen ex Menandri Colace personas illustres parasitum et militem in suum usum verterunt, aut, quod mihi verisimilius videtur esse, Naevius Menandri Colacem expressit, Philemonis vel alicuius poetae Colacem Plautus, sed is ita, ut ex Menandrea fabula unam alteramve scaenam, in qua personae illae comparerent, arriperet et liberiore modo suae fabulae insereret: pariter fere atque Terentium in Eunucho rem instituisse docuimus p. 18.

Praeter Colacem fabulam Plauti Commorientes in Adelph. prol. v. 6 sq. memoratur fabula:

Synapothnescontes Diphili comoediast:
Eam Commorientis Plautus fecit fabulam.
In Graeca adulescens est, qui lenoni eripit
Meretricem in prima fabula: eum Plautus locum
Reliquit integrum.

Neque de Diphili fabula[1] neque de Commorientibus Plauti quidquam notum est praeter unum versiculum qui inter Plauti fragmenta a Prisciano II p. 280 K traditus legitur:

saliam in puteum praecipes.

§ 4.

DE POETIS AEQUALIBUS.

Ex aequalibus poetis duo maxime nomina in prologis proferuntur: Caecilius et 'vetus poeta', quorum alterum maximi se facere, alterum nihili Terentius non obscure profitetur.

De Caecilio poeta in Hecyr. prol. II v. 4 sq., ubi spectatores suorum de arte comica meritorum commonefacit, Ambivius dominus gregis haec pronuntiat:

Nouas qui exactas feci ut inueterascerent,
Ne cum poeta scriptura euanesceret.
In eis, quas primum Caecili didici nouas,
Partim sum earum exactus, partim uix steti.
Quia scibam dubiam fortunam esse scaenicam,
Spe incerta certum mihi laborem sustuli,
Easdem agere coepi, ut ab eodem alias discerem
Nouas, studiose, ne illum ab studio abducerem.
Perfeci ut spectarentur: ubi sunt cognitae,
Placitae sunt. ita poetam restitui in locum
Prope iam remotum iniuria aduorsarium
Ab studio atque ab labore atque arte musica.
Quod si scripturam spreuissem in praesentia
Et in deterrendo uoluissem operam sumere,
Ut in otio esset potius quam in negotio:
Deterruissem facile, ne alias scriberet.

Caecilius secundum hunc testem similem fortunam atque ipse Terentius expertus est: ubi primum poeta comicus exstitit, isdem difficultatibus reluctari, eadem pericula, easdem adversariorum invidorum insidias propellere coactus est: qua adversariorum iniuria factum est, ut paene ab arte deterre-

[1] cf. Comic. Attic. frg. ed. *Kock* II, 1 p. 564 sq.

retur, nisi repetitis fabulis Ambivius spectatorum animos pedetemptim flexisset perfecissetque, ut poeta placeret ac dignum virtute sua locum impetraret. Causa quoque insidiarum eadem videtur in utroque poeta fuisse. Neque enim ex sola quaestus invidia repetendam eam putabimus sed ex ipsarum fabularum cum argumentis, qualia a Graecis mutuati sunt, tum forma et oratione: in qua artis et studiorum quandam cognationem inter duos illos comicos facile statuas. Intellego statariam comoediam (Heau. prol. v. 36 sq.) et ipsam illam, quam adversarii Terentio obiciunt, *tenuem orationem et scripturam leuem* (Phorm. prol. 4. 5), quam 'puram orationem' Terentius ipse praedicat Heau. prol. v. 46: *in hac est pura oratio.* Sed id ipsum clarius apparebit, si ipsa adversariorum crimina a Terentio prolata et refutata considerabimus.

De adversariis suis Terentius in prologis saepius loquitur nominibus nusquam additis:

Andr. prol. v. 15: *Id isti uituperant atque in eo disputant*
Contaminari non decere fabulas.
v. 21: . . . *Potius quam istorum obscuram diligentiam.*
Dehinc ut quiescant porro moneo et desinant
Male dicere, malefacta ne noscant sua.
Heau. prol. v. 16: *Nam quod rumores distulerunt maliuoli*
v. 27: *Ne plus iniquom possit quam aequom oratio*
Adelph. prol. v. 1: *Postquam poeta sensit scripturam suam*
Ab iniquis obseruari et aduorsarios
Rapere in peiorem partem sq.
v. 15: *Nam quod isti dicunt maliuoli*
v. 17: *Quod illi maledictum uehemens esse existumant,*
Eam laudem hic ducit maxumam sq.
(cf. quae modo notavimus de Caecilii adversariis
Hecyr. prol. II. v. 13: *ita poetam restitui in locum*
Prope iam remotum iniuria aduorsarium
v. 54: *Ne eum circumuentum inique iniqui inrideant*).

Atque malivolos istos plerique quidem homines docti censuerunt fuisse comicos Terentii aemulos vel adeo poetarum

aliquam societatem collegiumve[1] communi studiorum artisque ratione inter se iunctorum. Quod quamquam fieri potuit, tamen ex ipsis prologis necessario effici mihi non videtur. Unus enim *uetus poeta* identidem certo modo designatur, etsi ne eius quidem nomen pronuntiatur: cuius criminationes et convicia cum eorum, qui plurali numero *iniqui* dicuntur, omnino congruunt. Cogitandum igitur est de vetere poeta eiusque sequacibus, quos omnes cur ipsos quoque poetas aemulos dicamus non est: eodem iure fautores socios amicos intellegas, qui spectatorum animos mentesque pertractabant, clamatores[2] sibilantesque conducebant ad exigendas adversarii poetae fabulas sibilis et strepitu non secus atque in nostris etiam nunc fit theatris: quales ex Plautinis quoque prologis novimus Amphitr. prol. v. 65 sq.:

Ut conquaestores singula in subsellia
Eant per totam caueam spectatoribus:
Siquoi fauitores delegatos uiderint,
Ut is in cauea pignus capiantur togae.
v. 81 *Hoc quoque etiam mihi pater in mandatis dedit,*
Ut conquaestores fierent histrionibus:
Qui sibi mandasset delegati ut plauderent

[1] cf. *Dziatzko* ed. Phorm. p. 10: 'Zufrieden mit dem Beifall, welchen er im Kreise hochgestellter Männer fand, sorgte er wenig darum, sich das Wohlwollen einer engherzigen Dichterclique zu erwerben.' cf. adn. 'Diese Dichterschaar ist Andr. prol. 15. 21 gemeint' sq.

Similiter etiam Boissier l. c. p. 83: 'Ils formaient sans doute une jeune école qui voulait se rattacher de plus près à la Grèce' sq.; quae sane parum conveniuut 'veteri' poetae.

[2] *Ribbeck* 'Die Römische Tragödie' sq. p. 669: 'Die Technik, Stimmung unter dem Publikum zu machen und künstlichen Beifall zu erzeugen, war früh entwickelt und zwar nach dem Muster der bürgerlichen Wahlagitation. Wohl nicht für den einzelnen Schauspieler, sondern für den Direktor und seine Truppe wurde schon vor der Aufführung theils schriftlich theils durch Zwischenträger um Gunst geworben. Man stellte ganz wie bei den Wahlumtrieben Leute (divisores) an, welche geradezu Geld zu vertheilen und Claqueurs (favitores) zu werben hatten, die von geeigneten Stellen der cavea den Ton angeben, dem Einen Beifall klatschen, dem Andern einen Misserfolg bereiten sollten'.

Quiue alter quo placeret fecisset minus,
Eius ornamenta et corium uti conciderent.

ubi quae de histrionibus proferuntur eodem iure ad poetas referri possunt.

De uno igitur vetere poeta certius constat adversariorum Terentii gravissimo et constantissimo: a quo quattuor priorum fabularum Terentii prologi argumentum repetunt, cum Hecyrae et Adelphorum prologi in universum de Caecilii adversariis alter, alter de malivolis Terentii obtrectatoribus verba faciant. Atque diserte praeter Eunuchi prologum perstringitur vetus poeta:

Andr. prol. v. 6: *Non qui argumentum narret, sed qui maliuoli*
Ueteris poetae maledictis respondeat.

Heau. prol. v. 22: *Tum quod maliuolus uetus poeta dictitat sq.*

Phorm. prol. v. 1: *Postquam poeta uetus poetam non potest sq.*

v. 13: *Uetus si poeta non lacessisset prior,*
Nullum inuenire prologum posset nouos sq.

Quibus locis quid 'vetus' significet, ex ultimo quem attulimus loco apparet, ubi veteri novus poeta i. e. Terentius opponitur. Proclive igitur est de aetatis discrimine cogitare, ut cum Terentio adulescentulo tunc senex fabularum scriptor componatur, quomodo Donatus verbum interpretatus est (adnot. ad Andr. prol. v. 7): veteris poetae: *quia senex Luscius edebat fabulas adulescentulo tunc Terentio. et eleganter: maliuoli ueteris poetae maledictis: commendatio poetae a persona aduersarii.* Hanc Donati sententiam plerique nostrae aetatis homines docti secuti sunt velut *Dziatzko* in ed. Phorm. p. 51: *uetus poeta:* 'Der seit lange thaetige und daher alte Dichter'. Ac certe vocabulo 'vetus' Terentius similiter utitur in Eun. III 1, 38:

Tuomne, obsecro te, hoc dictum erat? uetus credidi,

ubi vetus est usitatum, iam dudum cognitum. Similiter

Adelph. V 3, 17: *nam uetus uerbum hoc quidemst,*
Communia esse amicorum inter se omnia,

Eun. IV 4, 21:

Hic est uietus uetus ueternosus senex
Colore mustelino,

quae de Doro eunucho dicuntur maligne, praesertim cum praecedant verba

Ad nos deductus hodie est adulescentulus,
Quem tu uidere uero uelles, Phaedria.

Simili autem malitia etiam 'vetus poeta' notatur totiens repetita notione, quae non minus quam ad aetatem refertur ad mores et ingenium. Intellegitur poeta obsoletus et tamquam sui superstes, cuius flos et robur dudum peractum sit.

Et nomen ipsum veteris poetae, de quo Terentius tacet, et quaecunque praeterea de eo nota sunt, uni Donato accepta referimus, qui hac in re bono auctore, ni fallimur Varronis libris de actionibus scaenicis, usus est. Fuit is Luscius Lanuvinus[1] (de quo vide *Ribbeck* Frg. com. lat. p. 83); cui Volcacius Sedigitus in canone nonum inter comicos dat locum:

Nono loco esse facile facio Luscium.

Luscius quales fabulas scripserit et quo scribendi genere sit usus, partim ex ipsis quae Terentius de suis et adversarii sui rationibus facit verbis, partim ex eis quae Donatus illis locis adscripsit comperimus. De duabus eius fabulis Terentius in Eun. prol. v. 7 sic conviciatur:

Qui bene uortendo et easdem scribendo male
Ex Graecis bonis Latinas fecit non bonas.
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit
Atque in Thensauro scripsit, causam dicere
Prius unde petitur, aurum qua re sit suom,
Quam illic qui petit, unde is sit thensaurus sibi
Aut unde in patrium monumentum peruenerit.

---

[1] De forma nominis v. *Dziatzko* ed. Phorm. p. 127. — *Studemund*, N. Jahrb. für Phil. 1868 p. 548 adn. 6.

De Phasmate Donatus haec adnotat ad Eun. prol. 9: *Phasma .... nomen est fabulae Menandri: in qua nouerca superducta adulescenti uirginem, quam ex uicino quodam conceperat, furtiue eductam, cum haberet in latebris apud uicinum proximum, hoc modo secum habebat adsidue nullo conscio. Parietem, qui medius inter domum mariti ac uicini fuerat, ita perfodit, ut in ipso transitu sacrum locum esse simularet; cumque transitum intenderet sertis ac fronde felici, rem diuinam saepe faciens, euocabat ad se uirginem. Quod cum animaduertisset adulescens, primum adspectu pulchrae uirginis uelut numinis uisu perculsus exhorruit: (unde Phasma est nomen fabulae): deinde paulatim re cognita exarsit in amorem puellae ita, ut remedium tantae cupiditatis nisi ex nuptiis non reperiretur. Ita ex commodo matris ac uirginis et ex uoto amatoris consensuque patris nuptiarum celebratione finem accipit fabula.*

De Thensauro idem Donatus: *Huiuscemodi enim est Luscii argumentum: Adulescens qui rem familiarem ad nequitiam prodegerat, seruum mittit ad patris monumentum, quod senex sibi uiuus magnis opibus apparauerat, ut id aperiret, illaturus epulas, quas pater post annum decimum cauerat sibi inferri. Sed eum agrum, in quo monumentum erat, senex quidam auarus ab adulescentulo emerat. Seruus ad aperiendum monumentum auxilio usus senis thesaurum cum epistula ibidem reperit. Senex thesaurum tamquam a se per tumultum hostilem illic defossum retinet et sibi uindicat. Adulescens iudicem capit: apud quem prior senex, qui aurum retinet, causam suam sic agit:*

Athenienses, bellum cum Rhodiensibus
Quod fuerit, quid ego hic praedicem? etc.

Ad alias Luscii fabulas referenda sunt, quae exagitantur in Heau. prol. v. 30:

ne ille pro se dictum existumet,
Qui nuper fecit seruo currenti in uia
Decesse populum: quor insano seruiat?

et in Phorm. prol. v. 6 sq.:

Quia nusquam insanum scripsit (sc. Terent.) *adulescentulum*
Ceruam uidere fugere et sectari canes

Et eam plorare orare, ut subueniat sibi.
Quod si intellegeret, quom stetit olim noua,
Actoris opera magis stetisse quam sua,
Minus multo audacter, quam nunc laedit, laederet.

In his, quae citavimus, quid maxime vituperet Terentius quoque id iure faciat non pariter exploratum est.

Primum de Phasmate comoedia nihil nisi rem ipsam notat Terentius: *Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit* (Eun. prol. v. 9) certa causa vituperationis non addita. Id certe miratur Donatus nec bene explicat verbis ad h. l.: *Utrum ergo hoc dicat, quod totam fabulam transferendo laeserit Luscius Lanuuinus, an non hoc tantum, de quo reprehendat, sed his signis uelit ostendere, quem dicat uitiose Thesaurum composuisse, ut in Thesauro sit culpa, non in Phasmate? . . . . . Hanc fabulam totam damnat, ut apparet, silentio: Thesaurum uero non totum, sed ex uno loco.* At eo loco ubi laedere Luscium eiusque peccata irridere vult Terentius, nuda Phasmatis mentio ita tantum sufficere ad poetam perstringendum poterat, si fabulam illam, cum nova ageretur, exactam esse neque stetisse tum res erat in vulgus nota.

In Thensauro id arguit Terentius, quod Luscius *contra consuetudinem litigantium defensionem ante accusationem induxerit.* Ita recte Donatus (ad Eun. prol. v. 10), qui narrato fabulae argumento haec addit: *quae contra naturam iurisque consuetudinem posita argumenta notat Terentius, quod ille ordo potior erat, ut adulescens prior proponerel causam, qui petitor inducitur.* Atqui id, si modo recte idem Luscio 'obscuram diligentiam in vertendo' obicit, certe non tam in Luscium cadit quam in Graecum exemplar, sive id Menandri fuit sive alterius poetae. Nam Θησαυρός titulus comoediae satis frequens est: velut praeter Philemonem, cuius Thensaurum Plautus expressit in Trinummo, et Menandrum Diphilus Archedicus Dioxippus novae comoediae auctores, Anaxandrides mediae eo nomine insignitas fabulas scripserant. Satis igitur habuit Terentius cum specie aliqua id poetae aemulo vitio vertere, quod absurdum esse Romanis scilicet spectatoribus iuris peritioribus facile probari intellegeret. Quamquam non magis in Atheniensium foro

fieri poterat, ut reus ante eum, qui postulaverat, causam diceret. Quod enim *Th. Ladewig 'Ueber den Kanon des Volcatius Sedigitus'* 1842 p. 15 de *παραγραφῆς* actione cogitavit: 'Denn vielleicht eignete sich die Sache zu einer *παραγραφή* — bei der der Angeklagte zuerst redete, cf. Meier und Schömann, Att. Process p. 647 — und der Alte schlug diesen Weg ein, um einer gründlichen Untersuchung aus dem Wege zu gehen', id minime probavit. Nam ut praetermittamus exceptionis, qua lis differatur ad aliud forum, in eiusmodi causa nullum locum esse, praesertim in comoedia, ubi argumenta tractantur, non advocatorum artes actioni scaenicae prorsus inutiles: ipsis illis verbis, quibus Donato auctore senex coram iudice causam dicit:

Athenienses, bellum cum Rhodiensibus
Quod fuerit, quid ego hic praedicem?

Ladewigii opinio refutatur, quibus statim mediam in rem causamque introducimur, neque exceptione utitur sed narrat senex, quo tempore thesaurum condiderit in sepulcro. Maiore opinor iure *Ladewig* *διαδικασίαν* (de qua cf. Meier et Schömann l. c. p. 368) commemorare potuit. Certe si statuimus in exemplari Graeco non tam de fraude senis actum esse quam quaestionem fuisse eiusmodi, uter iure sibi thesaurum vindicaret, utrum is qui agrum possideret in quo inventus esset thesaurus, an is cui fuisset destinatus: in tali *διαδικασίας* certamine fieri facile potuit, ut prior senex causam ageret. Quamquam tantis argutiis res minime indiget. Tantum enim aberat ut Graeci exemplaris auctor, sive is fuit Menander sive alius poeta comicus, in componenda fabula singula causae illius momenta minute ac religiose persequeretur, ut minime curaret, num causae actiones prorsus eaedem, quae in foro futurae essent, in scaena describerentur: quod si fecisset, spectatores taedio affecisset. Quod neque spectatores Graecos neque ipsum Luscium cum fabulam latine verteret offendit, neque Terentium offendisset, nisi criminis alicuius aliqua specie indiguisset, ut adversario obtrectaret.

Nec maioris momenti est Terentii accusatio in Phorm. prol. v. 6 sqq. (cf. p. 32), quos ad versus Donatus haec adnotavit: '*Ideo uidemur* (sc. Terentius) *leues tenuesque, quia*

non in comoedia prodigia facta sunt et tragoedias concitauimus. Et callide hic non solum errorem reprehendentis sed etiam imperite scripsisse ipse ostendit Luscium Lanuuinum . . . haec omnis περίστασις tragica, et ideo in comoedia uitiose inducitur'. Sed illa insanientis descriptio, qui cervam sibi videatur videre fugientem et plorantem, statim in mentem revocat simillimam scaenam in Plauti Menaechm. v. 834 sq., ubi Menaechmus sese insanire fingit simili que venatus imagine usus:

Quid mihi meliust quam, quando illi me insanire praedicant,
Ego me ⟨ut⟩ adsimulem insanire, ut illos a me absterream?
Euoe Bacche: heu Bromie, quo me in siluam uenatum uocas?
Audio, sed non abire possum ab his regionibus:
Ita illa me ab laeua rabiosa femina adseruat canis sq.

ibid. 862: *Multa mi imperas, Apollo: nunc equos iunctos iubes*
Capere me indomitos ferocis atque in currum inscendere,
Vt ego hunc proteram leonem uetulum olentem edentulum.

Atque idem valet de servo currente, cui decessisse populum Luscius fecit a Terentio notatus: quod non primus nec solus ille fecit, sed certatim fere descripserunt comici. Nota haec ex Plauto, qui Curculionem facit dicentem (v. 280):

Date uiam mihi, noti ignoti, dum ego hic officium meum
Facio: fugite omnes, abite et de uia secedite.
Ne quem in cursu capite aut cubito aut pectore offendam aut genu.
Ita nunc subito propere et celere obiectumst mihi negotium
Neque nunc quisquamst tam opulentus, qui mi obsistat in uia,
Nec strategus nec tyrannus quisquam neque agoranomus
Nec demarchus nec comarchus nec cum tanta gloria,
Quin cadat, quin capite sistat in uia de semita.

et Stichi v. 284 sq.: *nunc, Pinacium,*
Age ut placet, curre ut lubet: caue quemquam flocci feceris:

Cubitis depulsa de uia, tranquillam concinna uiam.
Si rex obstabit obuiam, regem ipsum prius peruortito.

ibid. v. 337: *ita celeri curriculo fui*
Propere a portu, tui honoris causa.

Amphitr. v. 986: *Nam mihi quidem hercle qui minus liceat deo minitarier*
Populo, ni decedat mihi, quam seruolo in comoediis?
Ille nauem saluam nuntiat aut irati aduentum senis.

Mercat. prol. v. 109: *Sed quid currentem seruom a portu conspicor,*
Quem naui abire uetui?

Atque ipse Terentius ex constanti poetarum more hoc fuisse concedit verbis in Heau. prol. v. 37: *Ne semper seruos currens, iratus senex .... adsidue agendi sint mihi* et Eun. prol. v. 35 sq.:

Quod si personis isdem huic uti non licet:
Qui magis licet currentem seruom scribere,
Bonas matronas facere e. q. s.

Omnes igitur incusationes Luscio factae mediocres pusillaeque videntur esse atque eo solo consilio in adversarium intentae, ut ille ludibrio apud spectatores haberetur. Eadem enim crimina ad reliquos quoque comicos pertinere demonstravimus.

Nec plus tribuemus minis illis Terentii se plura vitia Luscii prolaturum esse dicentis, nisi is obmutescat, Eun. prol. v. 14 sq.:

Dehinc ne frustretur ipse se aut sic cogitet
'Defunctus iam sum, nihil est quod dicat mihi':
Is ne erret moneo et desinat lacessere.
Habeo alia multa, quae nunc condonabitur,
Quae proferentur post, si perget laedere,
Ita ut facere instituit.

Heau. prol. v. 33 sq.:

De illius peccatis plura dicet, quom dabit
Alias nouas, nisi finem maledictis facit.

aut quod lacessendi causa dicit Luscii fabulam *actoris opera magis stetisse quam sua.* Rixae Terentii et Luscii sane

leves erant et tales, quales etiamnunc inter versificatores poetasque scaenicos excitari solent, in quibus non tam de serio certamine quam de detrectando adversario agitur.

Nam si quaerimus, num quid in artis rationibus sit, quo differant a Terentio adversarii eorumque signifer Luscius, unum offertur quod noluerunt 'contaminari fabulas' laudemque sane inanem quaesiverunt ex fabula 'bene vertenda', qua verbum de verbo exprimeretur.[1]

Atque in ea re quod antiquorum exemplum Naevii Plauti Ennii deseruerunt, eosdem pressius secuti videntur quam Terentius et Caecilius, cum motorias mallent quam statarias comoedias facere, quod eis vitio vertit Terentius in Heau. prol. v. 35 sq.:

Adeste aequo animo, date potestatem mihi
Statariam agere ut liceat per silentium,
Ne semper seruos currens, iratus senex,
Edax parasitus, sycophanta autem inpudens,
Auarus leno adsidue agendi sint mihi
Clamore summo, cum labore maxumo.

Incertior res est de orationis discrimine. Invicem enim obiciunt adversariis Terentius eos 'bene uortendo et easdem scribendo male ex Graecis bonis Latinas facere non bonas' (Eun. prol. v. 7 sq.), illi Terentio Phorm. prol. v. 4: 'quas antehac fecit fabulas, tenui esse oratione et scriptura leui'. Ex quibus conviciis quamvis in universum dictis id sane effici potest, veterem poetam veterum dicendi genus secutum id ipsum novo poetae vitio dare, quod is merito sibi laudi duxit, puram dico orationem (Heau. prol. v. 46) i. e. urbanam tersamque, qua Terentius ad sermonem Latinum perpoliendum plurimum profecto contulit. De qua re iuvat notissimos testis locupletis versus C. Caesaris a Suetonio citatos adscribere: ubi et 'puri sermonis' laudes Terentianum illud de se ipso praeconium confirmant et levia scripta' vi comica carentia cum 'tenui oratione et

[1] cf. supra p. 16.

scriptura levi' ab adversariis notata comparari possunt (pag. 34, 8 Reiff.):

Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret uis
Comica ut aequato uirtus polleret honore
Cum Graecis neue hac despectus parte iaceres.
Unum hoc maceror ac doleo tibi desse, Terenti.

Nitebatur autem Terentius amicorum nobilium fautorumque exemplo et auctoritate, qui puritatem dictionis tum unice sectabantur. De quibus iam verba faciamus.

Etenim inter crimina ab adversariis ad Terentii laudem imminuendam sparsa etiam illud erat, quod in scribendo a fautoribus adiutaretur nobilibus: Adelph. prol. v. 15 sq.:

Nam quod isti dicunt maliuoli, homines nobilis
Hunc adiutare adsidueque una scribere:
Quod illi maledictum uehemens esse existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam, quom illis placet,
Qui uobis uniuorsis et populo placent,
Quorum opera in bello, in otio, in negotio
Suo quisque tempore usust sine superbia.

Similia iam in Heau. prol. v. 22 sqq. pronuntiavit:

Tum quod maliuolus uetus poeta dictitat,
Repente ad studium hunc se adplicasse musicum,
Amicum ingenio fretum, haud natura sua:
Arbitrium uostrum, uostra existumatio
Ualebit. qua re omnis uos oratos uolo,
Ne plus iniquom possit quam aequom oratio.

His ex versibus, quibus poeta quod adversarii obiciunt non tam refutare quam concedere et excusare videtur, iam veteres litterati diversa eaque inepta coniecerunt. Nam ut praetermittamus suspicionem illam, quam de consuetudine poetae cum adulescentibus nobilibus fecisse Porcius Licinus a Suetonio (p. 27, 9) traditur in vita Terentii[1], exstiterunt qui contende-

[1] *Dum lasciuiam nobilium et laudes fucosas petit,*
Dum Africani uocem diuinam inhiat auidis auribus,

rent integras Terentii fabulas a Scipionibus esse factas: velut Vallegius[1] in actione (in epimetro Donati ad Suet. vit. Ter. p. 35, 6)

Tuae quae uocantur fabulae, cuiaene sunt,
Terenti? non has, iura qui populis dabat,
Summo ille honore affectus, fecit fabulas?;

vel C. Memmius, minor sane natu Sullae gener, qui multum cum poetis Catullo Helvio Cinna Lucretio versatus, in oratione pro se *P. Africanus* inquit *a Terentio personam mutuatus, quae domi luserat ipse, nomine illius in scaenam detulit* (Suet. vit. Ter. p. 30, 14); vel Cornelius Nepos, qui *auctore certo comperisse se ait C. Laelium quondam in Puteolano kalendis martiis ad monitum ab uxore, temperius ut discumberet, petisse ab ea ne se interpellaret, seroque tandem ingressum triclinium dixisse non saepe in scribendo magis sibi successisse: deinde rogatum ut scripta illa proferret, pronuntiasse uersus qui sunt in Heauton timorumeno:*

Satis pol proterue me Syri promissa huc induxerunt. (Suet. vit. Ter. p. 31, 2).

Quae fama non ex alio fonte hausta est quam ex ipsis Terentii verbis. Contra ex ipsa fama explicationem versuum hausit Donatus hanc (ad Adelph. prol. vv. 15 et 20): *Scipionem Africanum significat* (sc. Terentius) *et Laelium Sapientem et Furium Publium . . . . . 'in bello' : Scipionis; 'in otio' : Furii Publii; 'in negotio' : scilicet Laelii Sapientis.*

Contra huic communi antiquorum opinioni diversam non sine specie videtur opposuisse Santra qui existimat: *si modo in scribendo adiutoribus indiguerit Terentius, non tam Scipione et Laelio uti potuisse, qui tunc adulescentuli fuerint, quam C. Sulpicio Gallo, homine docto, quo consule (Megalens)ibus ludis initium fabularum dandarum fecerit, uel Q. Fabio Labeone et M. Popillio, consulari utroque ac poeta. ideo ipsum non*

Dum ad Philum se cenitare et Laelium pulcrum putat,
Dum in Albanum crebro rapitur ob florem aetatis suae:
Suis postlatis rebus ad summam inopiam redactus est.

[1] de nomine vid. *Ritschl* comment. in vit. Ter. Suetonianam ed. *Reifferscheid* p. 528 sq. et *Bergk* Philol. XVI p. 635 sq.

iuuenes designare qui se adiuuare dicantur, sed uiros quorum operam et in bello et in otio et in negotio populus sit expertus. (Suet. ib. 31, 10.)

Recte sane ab hac parte Santra: nam verba illa non ad iuvenes pertinere unus quisque concedet. Scipio enim Africanus anno u. c. 606 (148) consul creatus viginti annis post primam Terentii fabulam actam ante legitimam aetatem magistratum iniit. Atque ut concedamus Scipionum gentem propter magnas in bello res gestas summa tum apud populum gratia et auctoritate floruisse idque vel ad adulescentulum pertinuisse Romanis gratissimum,[1] praesertim qui in pugna apud Pydnam fortiter sese gesserit,[2] tamen haec omnia profecto vix satis valent, ut ad Scipionem illum minorem referantur verba illa laudis cumulum continentia 'quorum opera in bello in otio in negotio suo quisque tempore usus est', quae sane ad spectatam magistratuum et ducum virtutem respiciunt. Quamquam quae nomina Santra profert, ne ipsa quidem certa memoria nituntur sed levi prolata sunt coniectura: itaque ut certa nomina ex illis Terentianis versibus eliciantur, nullius interpretis arti succedet.

Quod vero Santra plane negavit usum Terentio cum Scipionibus fuisse, nimium effecisse ex illis versibus mihi videtur. Discernenda enim est versuum illorum Terentianorum explicatio ab ipsa quaestione, quinam homines nobiles Terentii fautores certe ab adversariis intellegantur: de altera re recte statuit Santra, de altera erravit. Consuetudo enim Terentii cum nobilibus ac maxime Scipionibus, quae confirmata a comicis et litteratis veterum posteriorum memoriae prodita est, tot tamque gravibus testimoniis nititur, ut de ea nullo modo dubitari liceat. Firmatur autem familiaritas ipsa aetate iuvenum maximeque studiis illis, quae tum et apud Scipiones insigni gratia efflorescebant et a poeta 'purae orationis' studiosissimo colebantur, ex quibus primum 'sermonis urbani' notio atque vis enata est.

[1] cf. Plut. vit. Aem. Paulli 22, ubi de Scipione dicit: *πᾶσι γὰρ ἀγαστὸς ἦν εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς πρὸς ἡγεμονίαν καὶ πολιτείαν ὡς ἄλλος οὐδεὶς τῶν συγγενῶν* sq.

[2] cf. Liv. XLIV 44.

Itaque a vero non aberrabimus, si sumemus, illos maxime adulescentes ab adversariis Terentii spectatos esse, ipsum autem Terentium consulto opprobrium ad nobiles universos ac tales, a quorum auctoritate et gratia publica promptior ipsi venia ac gratia suppeteret, deflectere studuisse ita, ut nobilitatis quae omnino eminerent belli otii negotii virtutes praedicaret. Itaque recte *Sauppe* in 'Nachrichten d. K. Gesellsch. d. Wissensch. Göttingen' 1870: 'Die Angaben über Terentius' Lebenszeit' p. 119 rem informasse sibi videtur, cum arbitraretur Terentio a Luscio vitio datum esse, quod, cum servus et libertinus esset, nobilium familiaritatem requireret, poetam vero ita sese defendisse, ut illorum virorum nobilium, qui rei publicae saluti domi militiaeque consulerent, familiaritatem et auxilium repetere ut unumquemque civem ita adversarios non recusare demonstraret. Spectatores autem vel eos qui fabulas legerent id ab universis nobilibus ad Scipionem et Laelium poetae familiarissimos facile transtulisse eamque famam posteris tradidisse.[1]

---

[1] *Sauppe* l. c. p. 119: 'Man machte dem Terentius den Vorwurf — und wir haben wohl auch hier wieder an Luscius Lanuvinus zu denken, den der Dichter im Prolog des Heau. v. 22 ausdrücklich nennt — dass er, der Sklave und Freigelassene, sich an vornehme Herren vom Adel (homines nobiles) andränge und von ihnen helfen lasse. Darauf erwidert der Dichter, diese vornehmen Herren des Adels seien es, die das Wohl des Staates und der Einzelnen im Krieg und Frieden förderten, jeder nehme, ohne spröde zu thun, zu ihnen seine Zuflucht, wenn er es bedürfe; auch er schätze sich also zur grössten Ehre, wenn er solchen Männern dieser Kreise gefalle, die bei Allen im Ansehen ständen. Wenn er sich der Gunst und Beihülfe Vornehmer freue, so thue er nichts, als was alle bei ihnen passender Gelegenheit thäten. Er vertheidigt also sich und sein Verhältniss zu bestimmten Persönlichkeiten der höchsten Kreise, indem er die Betrachtung erweitert und im Allgemeinen es als etwas durchaus Ehrenhaftes und Ehrenvolles bezeichnet, Hochstehenden zu gefallen, natürlich nicht Allen, sondern denen, welche durch Verdienst irgend einer Art die Anerkennung des Volkes erworben haben. . . . . . Natürlich vernahm, wer diese Verse hörte und las, nicht nur den allgemeinen Gedanken, sondern dachte auch zugleich an den besondern Fall und verstand also unter den homines nobiles in diesem Falle Laelius und Scipio, deren vertrauter Umgang mit dem Dichter bekannt war und von denen allein gesagt wurde, dass sie dem Dichter bei seinen Stücken zu helfen pflegten.

Quamquam quod adversarii criminati sunt *homines nobilis hunc adiutare adsidueque una scribere,* id in falsum auctum esse facile intellegitur, ac multo magis illae, quae ex leviore Terentii defensione haustae sunt perversae opiniones de comoediis ab illis nobilibus compositis Terentii nomine editis, ineptiores et infirmiores sunt quam quae seria refutatione indigeant.

III.

DE RE SCAENICA.

§ 5.

DE PROLOGORUM PRONUNTIATORIBUS.

Prologis, qui argumentum narrarent, fabulae Latinae ab initio vix unquam carebant: quibus quo modo Terentius utatur *non qui argumentum narret sed qui maliuoli ueteris poetae maledictis respondeat* cui alio modo obloqui non possit, iam supra expositum est.

Prologi appellatione etiam personam ipsam, quae poetae nomine cum spectatoribus agit, designari docet Hec. prol. II v. 1:

Orator ad uos uenio ornatu prologi.

Ipsas autem prologi partes apud Romanos ab adulescentibus agi solitas esse Heau. prol. v. 1 demonstrat:

Ne quoi sit uostrum mirum, quor partis seni
Poeta dederit, quae sunt adulescentium.

Usitatum morem bis deseruit Terentius ita ut senex Ambivius ipse prologum ageret nimirum suo non poetae nomine cum populo acturus: in Heautontimorumeno, quae fabula diligentiore defensione indigebat, ut spectatoribus stataria fabula probaretur, nec non in Hecyrae prologo secundo, ut fabula bis exclusa in spectatorum favorem revocaretur. Utroque autem loco id ipsum cur fiat exponitur. Atque in Hecyrae prologi initio:

Mit Recht sagt also Suetonius oder eigentlich wohl Varro, dass Terentius durch die Art, wie er sich vertheidige, das Gerücht nur bestätigt und ihm grössere Verbreitung gegeben habe.'

Orator ad uos uenio ornatu prologi:
Sinite exorator sim, eodem ut iure uti senem
Liceat, quo iure sum usus adulescentior

diserte oratorem sese i. e. tamquam legatum ad populum prodire profitetur, cf. Donatum: *oratorem audire oportere, ius gentium est: ne igitur expellatur, non se prologum sed oratorem nominat.* — Ex eodem initio *Dziatzko* in 'Quaest. select. de prologis Plaut. et. Terent.' p. 6 efficit, eum qui prologi munere in comoedia perfunctus sit, singulari vestitu usum esse, probata *Bentleii* sententia censentis prologo recitato illum statim de scaena discessisse. Immo vel ubi idem actor in ipso comoediae initio partes suas habet, eum vestitus mutandi causa discessisse putat idque ipsum agnoscere sibi videtur ex Heau. prol., cum Ambivius spectatores mirari opinetur, cur ipse prologi partes susceperit: illos eum prologum esse cognoscere potuisse.

Haec *Bentleii* et *Dziatzkonis* sententia in universum quidem Plautinis qui feruntur prologis quibusdam probari videtur, velut Poen. fabulae, ubi in fine prologus, vel qui prologi munere fungitur, ait:

Ualete: adeste, ibo: alius nunc fieri uolo.

Capt. prol. v. 67: *Abeo, ualete, iudices iustissimi.*
Trin. prol. v. 22: *ualete: adeste cum silentio.*
Rud. prol. v. 82: *Ualete, ut hostes uostri diffidant sibi.*

tamen tribus Plautinarum fabularum prologis parum convenit, ubi constat personam eandem in scaena statim agere: Militis gloriosi, Amphitruonis, Mercatoris.

In Milite glorioso Palaestrio prologi partes agit ita, ut in scaena altera act. I argumentum exponat, in tertia cum Periplecomeno colloquatur; inde singulari prologi vestitu eum usum esse minime putabimus. In Amphitruone fabula Mercurius prologus sub finem haec exclamat v. 148:

Sed Amphitruonis illic seruost Sosia,
A portu qui nunc cum lanterna ⟨huc⟩ aduenit.
Abigam iam ego illunc aduenientem ab aedibus.
Adeste, erit operae pretium: nunc spectabitis
Iouem et Mercurium facere ⟨hic⟩ histrioniam.

in prima quae deinceps sequitur scaena cum Sosia colloquitur. Atque hoc loco ipsa dei persona, de singulari prologi ornatu quominus cogitemus, vetat. Maximi autem ad nostram rem momenti Mercatoris prologus videtur esse. Prologi enim partes hac in fabula Charinus adulescens agit, qui idem fabulae personam tuetur. Qui ubi sic exorsus est:

Duas res simul nunc agere decretumst mihi:
Et argumentum et meos amores eloquar,

mox finem prologi his verbis facit v. 109:

Sed quid currentem seruom a portu conspicor,
Quem naui abire uetui? timeo quid siet,

ac statim ipse cum Acanthione servo scaenam agit, ut nullo modo eum de scaena discessisse nec magis singulari vestitu ornatum fuisse appareat.

Itaque *Dziatzkonis* sententia, quamquam per se non est improbabilis, tamen non cadit in eas fabulas, ubi, qui in prima scaena actor futurus est, idem prologi personam sustinet. Id autem de Heautontimorumeno fabula statuendum est, in qua Chremetis senis vel Menedemi senis partes ipsum Ambivium egisse probabile est. Eum igitur singulari vestitu usum prologum recitavisse, tum de scaena discessisse mutatoque senis vestimento in scaenam rediisse nemo credet. Ne id quidem certum est, 'ornatum prologi', cuius in prol. II v. 1 mentio fit, vestitum intellegendum esse. Immo probabilius mihi videtur prologum insigni aliquo, veluti sceptro vel caduceo ramove olivae, quo delegati ad populum condicio manifestaretur, instructum fuisse itaque, quod *Dziatzko* vult, ab omnibus cognosci potuisse; peracto autem prologo insigne illud, quo orator usus erat, sepositum esse, si quidem in Amphitruone, Milite glorioso, Mercatore, Heautontimorumeno partes in ipsa fabula eidem agendae erant.

§ 6.

QUAS MAXIME FABULAS SPECTATORES ROMANI IN DELICIIS HABUERINT.

Studia et intellegentiam spectatorum Plautinarum et Terentianarum fabularum non eadem fuisse intellexit *Ritschl* in Parerg. p 234 adn.: 'Dem Bildungsgange des sechsten

Jahrhunderts . . . . entspricht es durchaus, dass es Anfangs ein vorwiegend stoffartiges Interesse war, mit dem man schlechthin nur Belustigung im Theater suchte, sehr unbekümmert, woher diese der Dichter geschöpft, und ohne zu fragen, wie rein er die Quelle wiedergegeben oder mit welchen Zuthaten und Umgüssen er sie dem römischen Gaumen schmackhafter gemacht. Nur allmählig wurde für die Auffassung eines reinen griechischen Kunstwerkes, auch ohne die pikante Würze einer vergröbernden Komik, die Empfänglichkeit geweckt und das Verständniss herangebildet: und eben diess gibt der gewöhnlich so einseitigen Kritik der Terenzischen Komödie den allein richtigen Standpunkt.'

Quam mutationem 'paulatim' factam ipsi prologi illustrant: summa enim difficultate ac labore et Caecilius (cf. Hecyr. prol. II) et Terentius rationem suam spectatoribus probaverunt, qui bis, dum Hecyra agitur, theatro relicto comoediam levioribus funambuli gladiatorumque spectaculis posthabuerunt: cf. Hecyr. prol. I v. 3 sq.:

Ut neque spectari neque cognosci potuerit:
Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat.

Hecyr. prol. II v. 25 sq.:

Quom primum eam agere coepi, pugilum gloria,
Funambuli eodem accessit exspectatio:
Comitum conuentus, strepitus, clamor mulierum
Fecere ut ante tempus exirem foras.

eadem cum iterum daretur, v. 31 sq.:

Primo actu placeo: quom interea rumor uenit
Datum iri gladiatores, populus conuolat,
Tumultuantur clamant pugnant de loco:
Ego interea meum non potui tutari locum.

Phorm. prol. v. 31 sq.:

Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,
Quom per tumultum noster grex motus locost

atque summa Ambivii domini gregis opera vix effectum videmus, ut fabula tandem staret. Phorm. prol. v. 33: *Quem actoris uirtus nobis restituit locum* sq.

Non ferebant spectatorum animi actionem placide et tamquam sine motu fluentem. Nec dissimiliter in Heautontimorumeno, quae in accurata morum descriptione versatur, diligentissima domini gregis defensione opus fuit, ut fabula spectatoribus commendaretur, cf. prol. v. 35 sq.: *ne semper seruos currens, iratus senex . . . . adsidue agendi sint mihi clamore summo cum labore maxumo.*

Statarias igitur i. e. quietiores comoedias, in quibus personarum moribus perpoliendis et depingendis maiorem poeta operam dabat, quae quidem ab eruditis spectatoribus praeferri fere Graecis solebant, Romani spectatores contemnebant, motorias 'cum labore maxumo' actas postulabant et in deliciis habebant. Tantum autem aberat, ut vel Attica elegantia vel totius actionis artificio delectarentur, ut, quemadmodum ipse Cicero in eloquentia 'immensum aliquid infinitumque' desiderabat, ita in re scaenica quoque magis actuosa spectare cuperent. Propterea omnes praeter Heautontimorumenon et Hecyram fabulas Terentii motoriae sunt. De qua re cf. Donati praef. ad Eun.: *et est palliata Menandri uetus: quam ille auctor de facto adulescentis, qui se pro eunucho deduci ad meretricem passus est, nominauit. Itaque ex magna parte motoria est.* Idem praef. ad Adelph.: *Huius tota actio cum sit mixta ex utroque genere, ut fere Terentianae omnes, praeter Heautontimorumenon, tamen maiori ex parte motoria est; nam statarios locos perpaucos habet.* Idem praef. ad Phorm.: *Haec igitur proprie tota motoria est, et in affectibus constituta paene maioribus, quam comicus stilus posceret: nisi quod arte poetae omnia moderata sunt.*

Itaque etiam Terentii aetate quamquam eruditiores homines, nobiles maxime, elegantiore sensu in existimandis ut Menandri et Philemonis Graecis ita Latinis Caecilii et Terentii fabulis utebantur, tamen maior pars auditorum etiamtum eiusmodi delicias fastidiebat, motus actionis atque servorum petulantiam requirebat: quibus auditoribus vel paucis post Terentii mortem annis veteres fabulas novis multo magis placere prologus Casinae Plautinae profitetur.

Quam fastidiosum fuerit vulgi iudicium, et Heautontimorumeni atque Hecyrae actionibus confirmatur, et poeta

ipse saepius verba facit de fortuna scaenica, qua comicus poeta periclitetur: Hec. prol. II v. 8: *Quia scibam dubiam fortunam esse scaenicam* et Phorm. prol. v. 31: *Ne simili utamur fortuna* sq.

Quamquam pedetemptim eum populi favorem sibi conciliasse ipsae prologorum clausulae innuunt. Modestis enim atque demissis verbis poeta ignotus utitur in priorum fabularum prologis. in posteriorum confidentius atque audacius et in adversarios invehitur et se suumque studium spectatoribus commendat. Conferas cum Andriae versibus his (24 sqq.):

Fauete, adeste aequo animo et rem cognoscite,
Ut pernoscatis, ecquid spei sit relicuom,
Posthac quas faciet de integro comoedias,
Spectandae an exigendae sint uobis prius

et cum Heaut. 28 sq.:

Facite, aequi sitis, date crescendi copiam,
Nouarum qui spectandi faciunt copiam

haec verba Eunuchi, quae fabula unice placuit, v. 44 sq.

Date operam, cum silentio animum attendite,
Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus uelit

et Phormionis v. 30:

Date operam, adeste aequo animo per silentium.

§ 7.

DE PRETIO POETIS SOLVENDO IMPENSISQUE IN ACTIONES SCAENICAS FACIENDIS.

Dubiam fortunam scaenicam, de qua modo diximus, quamquam poeta scaenicus saepe expertus est, cum vel adversariorum peteretur invidia vel spectatoribus parum placeret, tamen ipsum periculum fabulae explosae ad poetam non pertinebat. Empta enim fabula a ludorum curatoribus pretium poeta meruerat, antequam fabula acta est. Cf. *Ritschelii* Parerg. p. 329: 'Wenn unter diesen Umständen der Unternehmer allerdings zu Schaden kommen konnte, so hatte dagegen der Dichter sein Honorar weg, welches Schicksal auch das Stück traf.' Hoc satis demonstrant verba prol. I Hecyrae

v. 6: *Et is qui scripsit hanc ob eam rem noluit*
Iterum referre, ut iterum posset uendere.

Nimirum ex Hecyra exclusa, cum semel veniisset, nihil detrimenti cepit poeta postea eandem iterum venditurus. Confirmant rem Horatii versus epist. II 1, 175 sq.:

Gestit enim (sc. Plautus) *nummum in loculos demittere,*
post hoc
Securus cadat an recto stet fabula talo.

Quis autem emerit fabulam a poeta venditam, de ea re dubitari potest ex duobus prologorum testimoniis inter se diversis. Nam verbis Eun. prol. v. 19 sq.:

quam nunc acturi sumus,
Menandri Eunuchum, postquam aediles emerunt sq.

non satis convenire videntur Ambivii Turpionis domini gregis versus Hecyr. prol. II v. 47 sqq.:

Mea causa causam accipite et date silentium,
Ut lubeat scribere aliis mihique ut discere
Nouas expediat posthac pretio emptas meo.

Explicatur res, si *Ritschelio* (Parerg. p. 327 sq.) credimus, Donati adnotatione alteri loco adscripta: *aestimatione a me* (sc. a domino gregis) *facta, quantum aediles darent: et proinde me periclitante, si abiecta fabula, a me pretium, quod poetae numerauerint, repetant: ergo 'meo' a me facto, a me statuto.* Quibus probatis *Ritschl* adicit plerumque poetam non cum ludorum curatoribus ipsis sed cum domino gregis egisse, qui fabulam aestimaret pretiumque poetae solvendum a curatoribus ludorum impetraret: idque diserte indicari prol. Heau. v. 43 sqq.:

Nam nunc nouas qui scribunt, nihil parcunt seni:
Si quae laboriosast, ad me curritur;
Si lenis est, ad alium defertur gregem,

ubi 'curritur' ad poetas rectius quam ad aediles referatur. Rectissime id quidem: sed ex hac negotiatione is qui suam operam interponeret dominus gregis certe emptam suo pretio comoediam dicere non poterat. Neque magis sufficit Donati adnotatio ad verba: *pretio emptas meo* (Hecyr. prol. II v. 48), ex qua adnotatione pretio emptas eas dumtaxat fabulas dicere licebat Ambivio, quarum pretium ab ipso exigeretur, cum

non stetissent: quod quam alienum sit ab ipsius consilio verbisque praecedentibus *mea causa causam accipite* sq. (Hecyr. prol. II v. 47), sponte apparet. Nam quarum aestimatio spectatorum plausu comprobata erat, earum certe pretium nullo pacto repetebatur. Atqui verba Ambivii in universum valent et maxime de novis, quas probare populo cupiat. Itaque ne Ruhnkenii quidem ratione multum proficitur, qui (ad Hec. prol. II v. 49), licet plerumque aediles a poetis fabulas emerint, aliquando tamen actores quoque fabulas suo pretio emisse ex Iuvenalis sat. VII 87

Esurit intactam Paridi nisi uendit Agauen

effici vult: loco propter ipsam temporis rationem ab eo, quem tractamus, alienissimo.

Equidem, num verum sit illud, aestimationem fabulae exactae a domino gregis repeti solitam esse, in medio relinquo: certe verba 'pretio emptas meo' non ad pretium poetae persolutum arbitror referenda esse (quod ab aedilibus factum esse constat), sed potius ad fabularum actiones a domino gregis redemptas. Nam quaecunque ad actionis scaenicae ornatum et apparatum, ad histriones alendos et instruendos, ad alia eiusmodi pertinent, ea aediles non singula curabant, verum domino gregis ita locabant, ut ex pacto certam summam ei penderent, unde ille sumptus faceret. Is autem apparatus scaenicus cum domino gregis etiam in posterum inservire posset ad fabulas iterum iterumque sive in urbe Roma sive in municipiis docendas (cf. p. 14) et inde quaestum facere ei liceret, verisimile est in ipsa redemptione illa quoque lucra ex fabulis et actis et repetitis redundatura in censum venisse. Quodsi fabula non placeret, fieri poterat, ut nihil lucri perciperet, sed damnum faceret redemptor ex actione suo sumptu peracta. Itaque recte suo pretio emptam fabulam appellat, cuius agendae et spes et periculum ad ipsum redeat.

Sed his quae modo exposuimus iam occupavimus alteram quaestionem, quae homines doctos in diversas egit partes: fabulae, ubi primum doctae sunt, cuius in dominio manserint.

Qua de quaestione omnes probabilitatis numeros habet *Ritschelii* sententia Parerg. p. 331 exposita: ad poetas fabulas non iam pertinuisse qui quidem eas vendidissent, cum praesertim ex Hecyrae prol. I v. 6 *et is qui scripsit* e. q. s. appareat ex veteribus comoediis relatis lucrum facere poetas non potuisse. Nec magis, qui emissent, aediles mansisse possessores: quibus usus nullus esset veterum fabularum. An credamus homines nobilissimos ex venditis comoediis quaestum sperasse? Restare ut eas ipsis dominis gregum relictas dicamus, qui agendas redemissent, quippe qui aestimatione facta et cautione praestita dominium iure sibi vindicarent. Inde igitur et periculum actionis susceptae et detrimenta ex dubia illa vel adversaria fortuna scaenica orta eis quodammodo compensata esse, cum fabulas iterum iterumque docere cum proprio emolumento possent.[1] Cui explicationi et simplicissimae et iustissimae unus videtur parum respondere locus ille, quem identidem citavimus, Hec. prol. I v. 6 sq.:

Et is qui scripsit hanc ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum posset uendere,

unde effici videtur ex ipsius poetae arbitrio fuisse fabulam referre, ut non dominus gregis sed poeta comoediae possessor mansisse putandus sit.

Nam quod Ritschelius versus illos ita interpretatur l. c. p. 330, quasi noluerit poeta Hecyram isdem ludis sollemnibus

[1] *Ritschl* l. c.: 'Was wurde aus den zur Aufführung gebrachten Stücken, die nun keine novae mehr waren? Wem gehörten sie? Den Dichtern nicht, denn ihnen waren sie ja abgekauft, und die oben erklärte Stelle im ersten Prolog (v. 6. et 7) zur Hecyra beweist ja bestimmt, dass an alten nichts mehr zu verdienen war. Den Aedilen oder Festgebern? Was sollten diese damit anfangen? Diese verschwenderischen Grossen Roms werden doch sicher keinen Handel mit dem Wiederverkauf getrieben haben. Es bleibt nichts übrig, als dass sie den Unternehmern, die nach dem Rechte der Gegenseitigkeit schon vermöge ihrer Gewährleistung einen gewissen Antheil daran ansprechen durften, nach gelungener Aufführung als Eigenthum zufielen. Dadurch also wurden diese für die mit der Uebernahme verbundene Gefahr entschädigt, dass sie im glücklichen Falle das Stück nun zu ihrem eigenen Vortheil als vetus fabula so oft zu wiederholter Aufführung bringen konnten, als sie Gelegenheit fanden.'

iterum referre, immo maluerit eam postea aliis ludorum curatoribus iterum vendere, quae quidem pro nova esset, cum prius neque spectari neque cognosci potuerit: id in verbis ipsis non inest. Et quomodo illud, quod raro exemplo in Eunucho factum est, ut bis deinceps ageretur, cum omnium plausum ferret, idem licuisse poetae impetrare in ea fabula statuamus, quae populum stupidum a funambuli admiratione abducere non valuisset? Quid? 'pro nova' eam fabulam vendere alteri ludorum curatori ideo licebat, quod propter populi fastidium, dum nova agitur, neque 'spectari neque cognosci' potuit?[1] Ita quo quae fabula ineptior erat et quo celerius exacta est, eo saepius tamquam parum cognita repeti 'pro nova' poterat. Eius modi autem comoediam putabimus alterum emptorem facile inventuram fuisse?

Longe diversa ex isdem versibus effecerunt *Ihne* et *Dziatzko*. Atque *Ihne* 'Quaestiones Terentianae' in sent. contr. 11 contra Ritschelium contendit 'Terentii aetate eas fabulas, quas novas vendidissent poetae, postquam semel actae erant, in dominium rediisse poetarum'. (quod idem *Becker* 'De Romanorum censura scaenica' p. 21 posuit: 'nam ut primum fabula in scaena data fuit, sive acciderat, ut non perageretur . . . . sive comoedia steterat, s e m p e r a d a u c t o r e m s u u m redibat'.) In sent. contr. 16 *Ihne* contra Donatum Hecyrae prioris prologi verba illa ita coniungenda censet: non ob eam rem voluit iterum referre, ut iterum posset uendere, sed . . . . . . Quid post 'sed' supplendum sit, non addit, puto sententiam talem: sed ut Hecyram spectatoribus denuo probaret. Quae si probaretur, sequeretur etiam repetitarum fabularum pretium poetam accepisse. At recte oblocutus est *Dziatzko* in Mus. Rhen. XXI p. 474 ex Latini sermonis legibus 'ob eam rem noluit' dici non posse pro 'non ob eam rem voluit'.

Quamquam ipse *Dziatzko* nihilo rectius eiusmodi supplementum requirit: poetam noluisse quidem fabulam iterum referre, ut eam iterum vendere posset, tamen in ludis funeralibus Aemilii Paulli precibus filiorum victum vel Scipioni

---

[1] cf. supra p. 6.

Africano gratificatum permisisse ut gratis referretur.[1] Verum adversativam sententiam in lacuna fuisse nullo modo probatur: immo verba eo ducunt, ut revera iterum veniisse Hecyram, cum iterum ageretur, tenendum sit. Non male igitur Donatus adnotat: 'aliis scilicet ludis: in quo maluit avarum poetam populo inducere quam suo operi diffidentem'.

In summa re *Dziatzko* cum *Ihnio* consentit: etenim ipse quoque verba illa in eam partem accipit, ut contendat ex potestate et permissu poetae fuisse ut iterum referrentur fabulae itaque in dominio auctoris eas mansisse. Sic enim rem sibi informat: poetas non vendidisse aedilibus nisi ius primae actionis, idque apparere ex verbis illis prol. I Hecyrae: *noluit iterum referre*; veteres autem fabulas ex quibus nihil quaestus fieret, libenter dominis gregis reliquisse[2]. Romani igitur comici, id quod ipse *Dziatzko* concedit, nunquam iure illo usi sunt una Eunucho excepta, in qua, si *Dziatzkoni* credimus, poeta quaestui suo consuluit, cum fabulam denuo datum iri animadverteret, quod quidem

---

[1] *Dziatzko* l. c.: Es sollte vielmehr an jener Stelle wirklich der Dichter als 'avarus' geschildert werden, und wenn er sich doch bei den Leichenspielen des Aemilius Paulus dazu verstanden hat sein Stück ohne nochmalige Bezahlung aufführen zu lassen, so ist es möglich, dass man ihm damals, da es die Kürze der Zeit nicht erlaubte ein neues Stück einzuüben, besonders gute Worte gegeben habe. Dazu konnte aber noch kommen, dass er dem P. Cornelius Scipio Africanus sich gefällig erweisen wollte, mit welchem er ja sehr wohl bekannt war und welcher als Sohn des Aemilius zugleich mit seinem Bruder Fabius Maximus jene Leichenfeier veranstaltete. Letzterer Grund wurde möglicher Weise in der besprochenen Lücke hervorgehoben.'

[2] *Dziatzko* l. c. p. 473: 'So bildete sich denn von Anfang an, in welcher Zeit, wie wir schon bemerkten, die Bevorzugung der novae fab. jedenfalls am entschiedensten war, als etwas Selbstverständliches der Brauch aus, dass die Festgeber dem Dichter nur — so zu sagen — das ius primae actionis abkauften oder doch das Geld dazu hergaben in der Summe, welche sie dem dominus gregis für die ganze Aufführung zahlten. Ebenso selbstverständlich wurden, als die scenischen Aufführungen überhaupt häufiger wurden und deshalb auch veteres fab. auf die Bühne kamen, diese von den Dichtern, da sie in Folge der ursprünglichen geringen Geltung der vet. fab. von den Festgebern keine neue Bezahlung erwarten konnten, den domini gregis bereitwilligst überlassen, durch deren Vermittelung jene wieder ihre novae fab. bezahlt bekamen.'

haud probabile esse accuratius p. 13 demonstravimus. Quid igitur de iure — de quo nihil traditum habemus, — verba faciamus, quo in nova fabula poeta usus sit, in vetere nusquam usus? Rectius sane et simplicius statuemus poetam cum prima actione etiam omnes reliquas actiones emptori tradidisse. Neque quo uno illa sententia fundamento nititur versu prol. I Hecyrae: *noluit iterum referre, ut iterum posset uendere,* id satis firmum est. Quae verba quamquam recte Donatus explicat, poetam Hecyram quaestus causa iterum vendidisse neque statim referre voluisse, tamen illud minime probant, poetam Ambivium, si quidem Hecyram denuo agere domino gregis in animo fuisset, vetare potuisse. Sed quid quaeso Ambivii interesse potuit, ut fabulam explosam iterum iterumque daret? Alia, ut ita dicam, fieri novaque delectandi vis Hecyrae exactae addi debebat, ut denuo empta staret neque id Terentium effugit: itaque 'pro nova' fabulam rettulit i. e. retractatam et emendatam. Qua de re supra disputavimus p. 8 et 50 sq.

Redimus igitur ad Ritschelii sententiam, quam supra nobis videmur novis argumentis corroborasse: dominis gregum, quippe qui agendas fabulas novas suo periculo atque ex parte suis impensis curavissent, easdem relictas esse, ut ex relatis quaestum facerent.